Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.




373
Nic

STACK.

Ronald Fuller

Merton Coll

Oxon

31/10/24.

ASHMOLEAN MUSEUM
LIBRARY

PRESENTED BY

Sir Alan Gardiner.

302251892W

# JOHANNIS NICOLAI

*Antiquitatum Profeſſoris*

# TRACTATUS

Magd: Hall

DE

# SYNEDRIO ÆGYPTIORUM,

Illorumque Legibus inſignioribus,

VBI

Variæ Antiquitates & mores lectu jucundi adducuntur, pœnæ in tranſgreſſores proferuntur & teſtimoniis aliorum Scriptorum tam Jctorum quam Hiſtoricorum probantur.

NUNC

*In bonum publicum luci datus.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud HENRICUM DE SWART,

M DCC VI.

ASHMOLEAN
OXFORD
MUSEUM

8 JUL 1962

# PROLOGVS.

Cum Ægyptii viderent, nullam Rempublicam ſine legibus diu ſalvam & incolumem ſtare poſſe. Certum enim eſt remotis his illam facile ruinam peſſimam habituram.

Leges quippe ſunt vinculum, quo Imperantes & obedientes, ſuperiores & inferiores arctiſſime conjunguntur, ut Reſpublica firmo talo ſtare poſſit. Hinc ſalubres leges ſanxerunt Reges Ægyptiorum, per quas Jus dicebant & crimina ſupplicio afficiebant; unde non dubitandum quin alii populi horum veſtigia preſſerint. Nam de Græcis legimus, quod ab Ægyptiis leges ſuas, & ab

his Romani ſuas hauſerint, quarum utilitatem adhuc ex Jure noſtro perſpicimus. Ut igitur benevolus Lector has in ſuccum & ſanguinem convertere poſſit, nobiſcum conſtituimus, Tractatulum de Synedrio Ægyptiaco illiuſque Legibus conſcribere, & collationem Legum Ægyptiacarum cum legibus civilibus inſtituere, quo quilibet facile cognoſcere queat, quo nitantur fundamento. Ne-

mo enim erit, qui hoc negaverit, quod collationes legum magnum in Jure profeſerant uſum. Accipe igitur Benevole Lector hanc Legum collationem ſerena fronte, & ſi gratum hunc laborem cognoverimus, promittimus, inpoſterum publicæ luci dare collationem Legum Moſaicarum in Inſtitutiones Juſtiniani, in Codicem, in Decalogum, &c. Precibus ergo flagitamus, ut his utatur B. L.

do-

donec illæ Lucubrationes lucem publicam viderint. Vale in Domino & favore illuſtra tuo hunc laborem.

# INDEX CAPITVM.

CAP. I. *De Synedrii Ægyptiaci exiſtentia*, 1
II. *De Synedrii Magni Ægyptiorum Perſonis*, 6
III. *De diverſis Sacerdotum Ægyptiorum ordinibus*, 12
IV. *De Judicum Synedrii Ægyptiaci numero, & hujus Principe*, 18
VI. *De modo agendi in hoc Synedrio*, 37
VII. *De Lege & pœna perjurii*, 41

# ELENCHVS LEGVM ÆGYPTIARVM.

## LEX PRIMA.

*Perjuri morte multantur*, 41

## LEX SECVNDA.

*Si quis in via hominem vel interfici cerneret vel pulſari, neque ſubveniret auxilio, ſi poſſet, morte damnandus erat. Sin auxiliari non poterat, prodere latrones jubebat lex, & accuſatione perſequi*, 52

## LEX TERTIA.

*Calumnioſi accuſatores ſtatutam falſo à ſe delatis pœnam ſubibant*, 57

## LEX QVARTA.

*Neceſſe erat profiteri omnes apud magiſtratum & nomina ſua & qua arte viverent. Si quis aut men-*

*mentiri comprehenſus eſt, aut malis artibus quæſtum agere, in mortis pœnam incidebat,* 70

## LEX QVINTA.

*Qui mortem intulit vel ſervo ſponte, morte luebat homicidium. Scelera enim conſilio factorum non conditione hominum æſtimanda credebant,* 82

## LEX SEXTA.

*At cædes liberorum parentibus non erat capitalis. Sed in cæſi cadaveris complexu tres dies noctesque, adhibita cuſtodia, detinebantur. Eos enim vita privari natorum cauſa, qui dediſſent vitam, non ſatis æquum videbatur, ſed dolore potius affligi & pœnitentia.* 95

## LEX SEPTIMA.

*Parricidis exquiſitam pœnam irrogarunt. Nam articulatim præacutis calamis cæſos in ardentium ſpinarum acervo cremari vivos voluerunt, maximum inter mortales judicantes ſcelus, ei mortem inferre, à quo vitam quis accepiſſet,* 115

## LEX OCTAVA.

*Mulierum morti deſtinatarum, ſi prægnantes eſſent,*

*ſent, partus expectabatur, exiſtimantes penitus iniquum eſſe, eum, qui nihil commiſiſſet, una cum facinoroſo pœnam pati, aut duos plecti, cum unus deliquiſſet,* 132

## LEX NONA.

*Ordinum deſertoribus, aut imperatorum juſſa non exequentibus, non mortis ſed infamiæ extremæ pœnam decernit lex,* 142

## LEX DECIMA.

*His qui ſecreta hoſtibus revelaſſent, linguam lex jubebat abſcindi,* 152

## LEX VNDECIMA.

*Qui monetam circumcideret, aut adulterinam cuderet, aut pondus, aut ſigna mutaret, aut falſas Syngraphas adferret, ambæ amputabantur manus, ut quæ corporis pars peccaſſet, per univerſam vitam lueret pœnam. Cæteri quoque moniti aliorum calamitate à ſimili ſcelere abſtinerent,* 157

## LEX DVODECIMA.

*Qui mulierem liberam violaſſet, ei virilia exſecabantur, quia uno crimine tria haud parva*

ſce-

*ſcelera complexus eſſet,* 172

## LEX DECIMA TERTIA.

*In adulterio ſpontaneo deprehenſus virgis cadebatur ad mille plagas, mulier naſo mutilabatur, quo dedecore vultus maculatus, ea multaretur parte, qua maxime facies exornantur,* 179

## LEX DECIMA QVARTA.

*Si quis pecuniis mutuo acceptis abſque ſyngrapho ſe debere neget interpoſito juramento à debito abſolvatur,* 193

## LEX DECIMA QVINTA.

*At per interventum ſyngrapha fœnerantes, ultra duplum per uſuram augere ſortem vetabat,* 201

## LEX DECIMA SEXTA.

*De obaratorum facultatibus duntaxat uſuras exigere; ſed corpus nullo modo in nexum ducere concedebat,* 220

## LEX DECIMA SEPTIMA.

*Qui furtis operam dare volunt, nomina apud fu-*

*rum*

*rum principem profitentur & è veſtigio furtum ex pacto ad eum referunt, qui res ſuas amiſerunt conſimiliter unumquodlibet amiſſorum literis conſignatum exhibent, locumque ac diem & horam, quibus jacturam fecerint, adſcribunt, hoc modo cunctis facile repertis fraudatus, taxatione rerum facta, quadrantem horum perſolvit, & tum ſua recuperat,* 233

*IN NOMINE JESU.*

# DE SYNEDRIO SEV TRIBVNALI ÆGYPTIORVM

Et illorum inſignioribus Legibus.

## CAPVT I.

*De Synedrii Ægyptiaci exiſtentia.*

I. QVEMADMODVM nulla ferè gens reperta, nec hodie reperitur, quæ non varios habeat Magiſtratus, ſuperiores & inferiores, in hunc finem conſtitutos & ordinatos, ut lites dirimant exortas, jura dicant, & omnem moveant lapidem, ut Reſpublica in tranquillo & beato ſtatu conſervetur; non eſt, ut ambigamus; An Ægyptii, qui inter antiquiſſimos terræ

A popu-

populos numerantur, etiam *Synedrium* quoddam, ſeu ſummum *Tribunal* habuerint? quærimus. De Hebræis conſtat, & extra omnem dubitationis aleam poſitum, quod diverſa & quidem tria habuerint *Synedria*, de quibus doct. Angl. *Johannes Seldenus* eruditum opus *de Synedriis Hebræorum* edidit, quem B. Lector evolvere velit, & ſtatim rei veritatem reperiet. Legi etiam poſſunt de his D. *Quenſted. Antiquit.* Bibl. B. *Carpzov. annot. ad Guilielmi Schickardi* משפט המלך *jus regium, edit. Lipſ.* aliique plurimi Scriptores, quorum graviſſima nomina ſatis nota. Græci ſanè ſua quoque habuerunt *Synedria*, inter quæ *Amphictyon.* & *Areopagiticum*, aliaque, de quibus erudite diſſeruit *Johannes Meurſ. in tract. de Areopag.* Confer. *Carol. Sigon. de Republ. Athenienſi.* Quid prohiberet aſſerere, quod etiam Ægyptii populi ſapientiſſimi *Synedrium* habuerint, ubi jus dictum & controverſiæ deciſæ? Impoſſibile etenim fuiſſet, tantam populorum multitudinem, ſine Magiſtratibus gubernare. Et licet regem habuerint; attamen probabile non videtur, illum ſolum jus dixiſſe. Onus enim intolerabile fuiſſet, quod humeris impar ſuis.

II. Cum igitur univerſa Ægypti terra juxta *Strabonem* antiquitus in triginta Nomos ſeu præfecturas diviſa fuerit, neceſſe etiam fuit ſingulo Præfectum aut Ephorum adjungere; nam omnes hi Nomi in triginta Deorum & Genio-

Geniorum, quos *Ephoros* aut *Decanos* in Deorum Republ. appellat *Triſmegiſtus*, diſtinguebantur. Confer. *Hugo Robinſon. in Annal. Mundi fol. m.* 122. *lib.* 2. *edit. Londin.* qui quidem XL. Νόμȣς recenſet. Nec fallit nos opinio, ſi vocabulum τȣ̃ Νόμȣ accuratius inſpiciamus, quod Græce à *Ptolomæis* ita dictum, quod nihil aliud, quàm *Juriſdictionem* ſignificet. Hinc NOMUS eſt locus JVRI DICVNDO CAVSISQVE TRACTANDIS OPORTVNVS, quem antiqui ⲚⲒⲦⲀϨⲂⲦⲢ i. e. Præfecturam ſeu Curiam, Arabes اديوان i. e. prætorium vocant.

III. Ex his ſatis elucet, quod quilibet NOMVS certam curiam vel prætorium habuerit, ubi convenerint Senatores deliberandi vel judicandi cauſa. Jure meritoque hos poſſemus appellare νομοφύλακες *legum cuſtodes*, qui non ſolum literas, ſed etiam facta hominum obſervarent ad legeſque revocarent. Vid. *Lexic. Jurid. ex Briſſon. Hotman. Prate. Cujac.* aliiſque auctoribus collectum *pag. m.* 660. Quid enim aliud curia antiquitus erat, quàm forum judiciale? uti probat *Marcell. Donat. in dilucidat. in Flav. Vopiſc. pag. m.* 1049. Ita quoque apud Ægyptios factum non dubitamus. Tempore enim *Seſoſtris* totam *Ægyptum* in tres partes diviſam legimus, in inferiorem, mediam, ſuperiorem; quarum unaquæque

in *Decem* iterum *Curias* ſive præfecturas dirimebatur teſte *Abenephio*, ſuuſque ſingulis erat Præfectus, qui in ordines inferiores imperium habebat. Complexa autem eſt Regio ordines tres, Ordinem nempe *Paſtorum*, *Agricolarum* & *Opificum*.

IV. Horum hominum multitudo in quovis NOMO reperiebatur magna, quæ aliter regi non poterat, quam per Magiſtratum ibi ordinatum & conſtitutum. Hinc negari non poteſt, in ſingulis *Nomis Curias* vel *Præfecturas* fuiſſe inſtitutas, in quibus certæ perſonæ Magiſtratus munere functæ jus dixerint & unicuique ſuum tribuerint. *Thebis* autem & *Heliopoli* certa *delubra* fuiſſe ajunt, ut in his iterum quicquid vago cultu tota complecteretur *Ægyptus* componeretur. Horum meminit *Strabo lib.* XVII. ubi de Labyrintho agit, qui cum fuſe de hoc dixiſſet, denique in hæc erumpit verba: In fine hujus ædificii, quod plus ſtadio occupat, eſt ſepultura, quædam pyramis quadrangula, cujus quodlibet latus quatuor ferè jugerum & altitudo par. Sepulti nomen eſt *Imandes* (verius Simandes) dicunt, tot aulas ibi factas eſſe, quot PRÆFECTVRÆ, ſolitoſque eo convenire, atque epulum quoddam ſacris viris ac mulieribus fiebat ſacrificii gratia Deo reddendi, & JVRIS DICVNDI de rebus maximis; quævis autem præfectura in ſuam aulam procedebat.

Ea-

Eadem fere refert *Abenephius* de عين شمس *Ainſchems*, i. e. *Heliopoli*, cujus verba ex verſione *Athanaſii Kircheri* ſequentia ſunt: Eſt autem in عين شمس *Ainſchems*, h. e. Heliopoli fabrica, cui tot domus perhibentur eſſe, quot CVRIÆ antiquitus in Ægypto cenſebantur, & unaquæque ex iis habebat Teleſman & idolum, quod colebant pro ſalute terræ, in qua erat *Curia*.

V. Colligi facile ex his dictis poteſt, quod quilibet Nomus peculiarem Curiam habuerit, in qua Idolum & oraculum repoſitum, quod Sacerdotes conſuluerint, ſi controverſia decidenda occurreret; quippe in *Nomo* 1. *Racoti Mercurius ſub Ibidis figura* cultus teſte *Kirchero fol. m.* 15. *Oedip. Ægypt. Syntag*. 1. Nomo ſecundo Phtenutho *Curia* vel delubrum erat, in quo *Serapis*, quem maximum Deorum Ægyptii, teſte Diodoro, Apulejo & Ammiano Marcellino appellabant, ſacra faciebant, inſomniaque captabant. Ita in reliquis *Nomis* factum eſſe oſtendit fuſe *Kircher*. l. c. Obſervandum autem quod in his Nomis Sacerdotes Magiſtratuum officium geſſerint, & in inferioribus & ſuperioribus Synedriis vel Curiis Judices fuerint. His leges ſuas tradidiſſe dicitur *Mercurius*. Vid. *Kircher. Syntag*. 2. *cap*. 1. *fol. m*. 115. ubi pluribus de his & illorum

Adjutoribus diſſerit. Ex quibus omnibus ſatis patet, Ægyptios Synedria ſeu Curias habuiſſe.

## CAP. II.

### *De Synedrii Magni Ægyptiorum Perſonis.*

I. JUDICIA Ægyptiorum non caſu fiebant, ſed ratione; exiſtimabant enim rite facta plurimum vitæ humanæ prodeſſe. Nam punire nocentes, auxilium ferre oppreſſis, optimam ad prohibenda mala facinora viam putabant; pœnam verò delicti, aut pecunia, aut gratia tolli, confuſionem vitæ communis fore exiſtimabant. Quamobrem è civitatibus clarioribus *Heliopoli*, *Memphi* & *Thebis* viros optimos eligebant, quos judiciis præficerent; qui Judicum conſeſſus, neque Athenarum Areopagitis, nec Lacedæmoniorum Senatui, longo tempore poſtea inſtitutis, cedere videbatur. Videantur *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* 2. *de politic. Ægypt. cap.* 11. *fol. m.* 120. *edit. Rom. Hugo Robinſon. in Annal. Mundi edit. Londin. lib.* 2. *fol. m.* 123. Confirmat hoc teſtimonio ſuo *Diodor. Sicul. lib.* 1. *pag.* 48. b. his verbis: *Ex nobiliſſimis civitatibus viros optimos judiciis præfecerunt Ægyptii. Nam ex Heliopoli & Thebis & Memphi Celenos judices elegerunt.* Clarius *Ælianus hiſtor. variar. lib.* XIV.

cap.

*cap.* XXXIV. explicat, quinam ipſi viri optimi fuerint, quando ita literis tradit: Δικασταὶ γὰρ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν, i. e. *Judices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes.*

II. Ex jam allatis teſtimoniis quilibet facile intelliget, quod perſonæ in Synedrium Ægyptiacum cooptatæ fuerint Sacerdotes, penes quos maxima fuerit auctoritas. Aderant enim hi gravibus ſemper in rebus conſilio atque opere Regibus, tum aſtrorum peritiâ, tum verò ſacrificiis futura prædicentes. Hi poſt Reges ſecundum honoris dignitatiſque gradum vel locum tenebant; quare Regibus ſemper adjungebantur, ut horum miniſtrorum die noctuque adſtantium conſpectu Rex nihil turpe committeret. Vid. *Petr. Gregor. Tholoſan. præлud. optim. Juriſconſulti lib.* 2. *cap.* XXVI. *pag. m.* 229. *edit. Lugd.* 1583. Priuſquam autem ulterius progrediamur, ex *Diodori* verbis, loca prius examinabimus, unde deſumti vel accerſiti fuerint Judices Sacerdotes? Non diu hîc diſquirendum & inquirendum; cum ipſe Auctor referat, ex nobiliſſimis civitatibus *Heliopoli*, *Thebis* & *Memphi*. Merito autem hîc quæritur, cur tantum ex his tribus civitatibus apud Ægyptios Judices electi? Et ſi accuratius rem examinamus, nulla alia ratio dari poteſt, quam quod hæ urbes bonarum artium & profundioris doctrinæ ſedes fuerint.

 Quod

Quod igitur ad *Heliopolim* attinet, illa *civitas Solis* dicta eſt, quæ ex primariis totius Ægypti urbibus fuit, religione & cultu Deorum celebris. Quidam hanc cum *Memphi* ſeu *Meſra* confundunt, id quod ab *Athanaſ. Kirchero fol. m.* 29. *Oedip. Ægypt. Syntag.* 1. *c.* IV. deciſum eſt. Ab Arabibus vocatur عين شمس *Oculus Solis*, uti *Geograph. Nubian.* recenſente *Kirchero* teſtatur. Ab Hebræis autem dicitur *On.* Ita Raſſe in Micra Haggedola in xxx. Ezech. און מדינת מצרים נקרא בלעז בית שמש או עין שמש i. e. On civitas Ægypti dicitur in lingua barbara Bethſames vel Ainſames, i. e. domus vel oculus Solis. Cum autem hæc civitas *Oſiridi*, qui Sol putatur, dedicata, arbitramur, quod in illa educati fuerint, qui Oſiridem imitarentur. Nam ille à primis annis fingitur avidus audiendi, grandior factus flagraſſe deſiderio eruditionis. Quid aliud his ſignificatur, quàm quod in urbe hac ſtudia maximè floruerint, ubi ſtudioſi in omni diſciplina eruditi fuerint, ut aliquando Reipublicæ maximo commodo eſſe poſſent.

III. Hoc autem probamus ex illo, quod ſcientiis & diſciplinis ab omni antiquitate Ægyptii dediti fuerint, maximè poſt tempora *Abrahami*, qui ex Chaldæis primus eos docuit Aſtronomiam, auctor eſt *Joſeph. Antiq. lib.* 1. *c.* 9. Hodiè ſanè ubique ſuas habere Scholas, nul-

nullum eſſe NOMVM, ubi non Academiam & aliquando plures reperias. Quod de veteribus Ægyptiis tradidit *Diodor. Sicul. lib.* 1. *c.* 3. Non ſolùm Profeſſores habere publicos in Scholis & Academiis, ſed & erudiri ſingulari cura à Sacerdotibus. Vid. celeb. *Braun. in Select. Exercit.* IV. *pag. m.* 725. Si igitur in quovis Nomo Academiam habuerint, ſequitur quod potiſſimum ſtudia in nobiliſſimis Urbibus culta fuerint. Requirebatur etenim ab Ægyptiorum Sacerdotibus, ut docti eſſent & periti, potiſſimum in his, quæ ad religionem eorum pertinebant, ideo & leges callere debebant, ut notat *Livius* & *Cicero de legib. ad Attic. lib.* 4. *epiſt.* Et Sacerdotes *Heliopolitani* Philoſophiæ & Aſtrologiæ erant peritiſſimi, teſte *Strabone lib.* 17. *Geograph.* Et apud *Ægyptios* Sacerdotes tantum ex Philoſophis eligebantur. Confer. *Tholoſani Præludia optim. Juriſconſult. pag. m.* 228. *lib.* 2. *cap.* XXV. Sic etiam de duabus aliis celeberrimis civitatibus ſentiendum, è quibus Judices accerſebantur Sacerdotes.

IV. Viſis locis ad qualitates harum perſonarum progredimur, quibus præditæ eſſe debebant, ſi ad hoc munus eligi vellent. Indicat hoc *Siculus* quando ita diſſerit: *Viros optimos judiciis præfecerunt Ægyptii.* Vocat illos *optimos*, quod vocabulum omnes Judicum qualitates in ſe comprehendit, ut ſcil. prudentes &

virtuoſi eſſe debeant. *Prudentes*, aliàs non poterunt Reipublicæ naviculam regere. Quis enim navim mihi dirigat ſine ferro, quod affricuit Siderites? Sic nemo Rempubl. ſine mente, quam afflavit illa Diva. Hinc *Plato* verè ait *in Menon. ſub fin. temp.* ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται τοῦ ὀρθῶς πράττειν, & alter Sophus *Ariſtotel. lib.* 6. οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως. Quare ulterius inquit: φρόνησις ἐστιν ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ καλά. Vel ſecundum *Lipſium Pol.* 1. *c.* 7. Prudentia eſt intellectus & dilectus rerum, quæ publicè privatimque fugiendæ aut appetendæ. Intellectum dixi, quia hic eſt, qui videt omnia, ideoque ὄμμα τῆς ψυχῆς à *Jamblicho* apud *Stobæum ſerm.* 3. jure dictus. Dilectum addidimus, quia eadem, quæ ſeligit, & recto judicio, honeſta è deterioribus, utilia à noxiis diſcernit. Itaque judicare vel conſulere nihil aliud eſt, quam quid agendum vel fugiendum ſit, inquirere ac ratiocinari. Qui enim benè in rebus agendis aut fugiendis ratiocinatur, is benè conſulit, quod eſt prudentiæ munus. Ergo primum quod ad optimos pertinet requiſitum eſt prudentia. Eligebant igitur optimos Sacerdotes Judices, qui ſingulari prudentia præditi erant.

V. Cum autem prudentia non ſine virtute, nec virtus ſine prudentia eſſe queat, ideoque viro optimo virtutem adjungimus. Sine vir-

tute

tute enim prudentia (inquit Lipſius) calliditas eſt & malitia, & quidlibet potius, quàm prudentia. Quicquid enim non temerè agimus, id eligimus. Eſt enim electio appetitio cum ratione; atque ut electio bona ſit, neceſſe eſt, rationem rectam eſſe & appetitum bonum: quorum illam Prudentia perficit, hunc virtus. Videatur D. *Schaller. in diſſert. politic. de Conſiliar.* Qui nunc prudentia & virtute carent, optimi non poſſunt ſalutari; nec illi qui prudentia ſola præditi; ſed qui ſimul morum gravitate vitæque continentiâ. Eligebantur in Judices ergo ab Ægyptiis *optimi*, quorum veſtigia preſſit *Alexander Severus* teſte *Herodian.* VI. I, *pag.* 253. quos ita deſcribit: *Quippe cum primum ſedecim ordinis Senatorii viros, ætatis gravitate vitæque ſanctimonia præcellentes, aſſeſſores Principis delegerunt*, &c. Illuſtratur locus ex *Lampridio in vita Alexandr. p.* 137. his verbis: *Amicos ſanctos & venerabiles habuit, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malitiam vel malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumventores, non irriſores, non qui illum ſicut fatuum circumducerent; ſed ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes Principis ſui*, &c. Hi itaque, qui his virtutibus præditi optimi dicuntur; quare hinc conjici poteſt, quibus virtutibus Sacerdotes Judices ornati fuerint, quæ ab omnibus Judicibus hodienum requirun-

runtur. Ex his jam ſatis patet, quod perſonæ in *Synedrium Magnum Ægyptiacum* receptæ Sacerdotes probatæ fidei & inculpatæ vitæ graviſſimiſque moribus fuerint. Quas qualitates de Judicibus Hebræorum etiam requiſivit Deus ipſe *Exod.* XVIII. 21. Evolvantur hîc *Selden. de Synedr. Ebræor. lib.* 1. *cap.* 14. *pag. m.* 380. *ſeqq. Herman. Conring. Diſſert. de Republ. Heb. Sigon.* & *Cunæ. de Republ. Hebræor. Henric. Ainsworth. Com.* in h. l.

## CAP. III.

### *De diverſis Sacerdotum Ægyptiorum ordinibus.*

I. SACERDOTES ergò à Mercurio in Judices inſtitutos fuiſſe extra omnem dubitationis aleam ponimus, cum hiſtoriarum teſtimonia id ſatis confirment. Factum autem hoc eſſe non ſine rationibus, quia humanæ voluntatis in legibus ſervandis caducitatem probe noverat, & ut ſuarum legum conditarum perpetuos ſucceſſores haberet, ſacerdotum hominum ſagaciſſimorum, ingenio, ſapientiâ & peritiâ rerum præcellentium, quibus ſolis ad regni ſucceſſionem aditus foret, inſtituit *Collegium*; quibus *artium*, *legumque* à ſe *conditarum* normam tradidit, eoſque juramento adegit, ne præter ordinis ſui homines, eandem ulli alteri communicarent; præterea ſacrifi-

cio-

ciorum rituumque in Numinibus quà colendis, quà placandis præſcriptas leges, iiſdem veluti optimam hæreditatem reliquit, & quia ſoli Sacerdotes tantæ moli inſufficientes putabantur, iis varios veluti Coadjutorum regni ordines ſubſtituit.

II. Primi inter hos erant *Cantores*, qui dubia ex legum Mercurii Digeſtis circa Deorum hymnos & laudes exorta ſolverent, rationes vitæ regiæ ad ſupremarum mentium ideas diſpoſitas edocerent. Et hi fortè erant, qui ſemper Regem comitabantur, de quibus *Diodorus Sicul. l.* 1. ſed nobiliorum ſacerdotum filii, tum ultra viginti annos nati, tum doctrina præ cæteris eruditi. Et ritum hunc canendi leges forſitan Græci ab Ægyptiis hauſerunt, qui cantilenæ hujus genus per NOMON explicant. *Ariſtotel. Sect.* 19. *Probl.* 28. de hoc ritu ita diſſerit: Διὰ τί νόμοι καλοῦνται, οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται, ὥσπερ ἐν Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι, καὶ τῶν ὑστέρων οὖν ᾠδῶν τὰς πρώτας, τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν ὑπὲρ τὰς πρώτας. i. e. *Cur leges pleraque cantilena appellantur? An quod homines priusquam literas ſcirent, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent; quod etiam noſtra ætate Agathyrſis in more eſt. Ergò primas quoque poſteriorum cantilenarum eodem appellaverunt nomine, quo nomine ſuperiores vocabantur.* Confer. *Franciſc. Rous in Archæologia Attic. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.*

*pag. m.* 95. *edit. Oxonienſ.* Ut igitur Reges Æ-gyptiorum & alii leges memoriæ firmiter in-primerent, conſtituti fuerunt Sacerdotes *Can-tores*.

III. Secundi ordinis erant *Horoſcopi*, quorum Symbolum erant *horologium* & *palma*, quos quatuor *Mercurii* de Aſtrologia libros alto pectore imbibiſſe oportebat; eorumque officium erat, temporum exactam diſtributionem in Deorum cultu peragendam obſervare, legum traditarum certis anni temporibus, dierumque ſolenniis populo prælegere, feſtorum ſtativas ſolennitates juxta Solis & Lunæ ſiderumque curſum diſpoſitas perpetuo & conſtanti tenore conſervare. Tertii ordinis erant *Hierogrammatiſtæ*, i. e. Scribæ ſacrorum. Obſervandum autem, apud Ægyptios triplicem literarum viam & rationem eſſe, indicante *Clemente Alexandrino l.* v. *Strom.* unam ἐπιστολογραφικὴν, alteram ἱερογλυφικὴν, tertiam ἱερατικὴν *Sacerdotalem*, quâ utebantur ἱερογραμματεῖς ſive Scribæ ſacrorum, quos hic inprimis conſiderabimus. De his *Suidas*: Οὗτοι παρ' Αἰγυπτίοις ἦσαν δεινοὶ, καὶ περὶ τῶν μελλόντων τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν. Καὶ τούτων τὶς ἀναγγέλλει τῷ βασιλεῖ, τεχθήσεσθαί τινα, κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, τοῖς Ἰσραηλίταις, ὃς ταπεινώσει μὲν τὴν Αἰγυπτίων ἡγεμονίαν, αὐξήσει δὲ τοὺς Ἰσραηλίτας, τραφεὶς ἀρετῇ δὲ πάντας ὑπερβαλεῖ, καὶ δόξαν ἀείμνηστον κτήσεται. Περὶ Μωυσέως λέγων. i. e. *Hi apud Ægyptios erant valdè periti prædicendi veri-*

*tatem*

*tatem de rebus futuris. Horum autem quidam Regi prædixit, quendam illo tempore genitum iri apud Iſraelitas, qui educatus Ægyptiorum quidem principatum eſſet depreſſurus, Iſraelitas vero aucturus, & omnes virtute ſuperaturus, & gloriam immortalem conſecuturus: de Moſe loquens.* Quæ quidem *Suidas* ex *Joſepho*, *lib.* 2. *Archæol. cap.* v. hauſiſſe videtur: addit *Ioſephus*, Regem hoc vaticinio territum infantes aqua mergi juſſiſſe. Pergit *Suidas*: Εὐήνης Αἰγυπτίων βασιλεὺς δίκαιος πάνυ, ἐπέτυχε δὲ τῷ τρόπῳ τοῦ ἀνδρὸς τούτου ἄλλα μὲν ἐκ θεοῦ ἀγαθά. Καὶ μέντοι καὶ ἱερογραμματέα ᾄδουσιν οἱ Αἰγύπτιοι κατ' αὐτὸν γενέσθαι θεοφιλῆ τε καὶ ἐς πολλὰ λυσιτελῆ, ὄνομα αὐτῷ Ἰαχίμ. Ὃν φασι περιάπτων καὶ ἐπαοιδῶν ἔμπειρον γενέσθαι. *Euenes fuit Ægyptiorum Rex juſtiſſimus, cujus viri mores & virtutem cum alia divinitus data bona conſecuta ſunt: tum etiam illud, quod Ægyptiaci libri canant, fuiſſe illius tempore ſacrum ſcribam, virum Deo charum, & ad multa utilem, cui nomen erat Iachim: quem amuletorum & incantationum peritum fuiſſe tradunt.*

IV. Ægyptiorum Sacerdotes & ſapientes autem Magiæ deditos fuiſſe ex ſacris Literis Exod. VII. manifeſtum eſt. Celebrantur præcipuè duo *Moſis* coætanei *Ianes* & *Iambres*, quorum etiam *Paulus* 2. *Tim.* III. 8. meminit, & Talmud Babylonic. & *Apulejus in Apolog.* 2. ſecundum antiquam diviſionem. Vid. *Trogil. Arnkiel. pag.* 322. *Numenius* etiam & *Artapanus*

*nus* apud *Euſebium lib.* 9. *Præpar. Evangel. cap.* III. & IV. Mercurium Triſmegiſtum Saturni Scribam fuiſſe, idem *Euſeb. lib.* 1. *Præpar. Evangel. cap.* VII. affirmat, hunc autem *Mercurium* Ægyptium ipſum Moſem fuiſſe judicat *Huetius demonſtr. Evangel. propoſ.* IV. *cap.* 4. §. 5. Hi etiam γραμματεῖς ἱεροὶ καὶ προφῆται ſacram navem adornant, qua Apidem, ex loco ubi ad tempus nutritus eſt, Memphim transferunt, teſte *Æliano lib.* 11. *de animal. c.* 10. Inter Regis Miniſtros apud *Diodor. Sicul. lib.* 1. *cap.* 70. comparet à ſacris libellis Sacerdos, qui poſt ſacrificium conſulta quædam & facta clariſſimorum virorum è Commentariis ſacris prælegit, & *cap.* XCI. circa cadaverum ſepulturam primus Scriba, depoſito humi corpore, circum ilia ſiniſtrum latus, quantum inde reſecandum ſit, circumſcribit. In ſacrorum pompa, apud *Clementem Alexandrinum lib.* 6. poſt *Cantorem* & *Horoſcopum* tertio loco procedit ἱερογραμματεὺς pennas in capite geſtans, habens in manibus librum, regulam in qua atramentum ſcriptorium & calamus ad ſcribendum. Hunc ſcire oportet hieroglyphica, Coſmographiam, Geographiam, ordinem Solis, Lunæ & quinque planetarum, Chorographiam Ægypti, ac deſcriptionem Nili, ac omnis ſacri apparatus, locorumque ſacrorum cum ſua dimenſione, & quicquid in ſacris utile. Confer. *Athanaſ. Kicher. Oedip. Ægypt. Syntag.*

*2. fol.*

2. *fol. m.* 115. *cap.* 1. & *Obeliſc. Pamphil.* ubi fuſe. Sic & in *Iſidis* pompa, quam *Apulejus lib.* 11. *Metamorph.* deſcribit, γραμματεὺς cœtu paſtophororum velut in concionem vocato, de libro, de literis fauſta vota præfatur: *Principi magno, Senatuique & Equiti, totique Romano populo, nauticis, navibus,* &c.

V. Quarti ordinis erant *Stoliſtæ*, qui juſtitiæ cubitu & calice ad libandum inſtructi, conſuetis Comitiis & conciliabulis aderant, quorum officium erat, ea omnia, quæ ad ſacras diſciplinas & inſtituta pertinebant, & ea inviolabili rigore ſervanda, & illibato vigore cuſtodienda ſollicitare, & ſi quæ à primo rigore defeciſſent, ſummo ſtudio, cura & ſollicitudine inſtaurare; præterea ſacrificia opportuno tempore peragere, ſacra μοσχοσφραγιστικὰ, i. e. quæ Apides, ſeu Vitulos ſacros quà conſignandos, quà mactandos concernebant, diſponere. Horum meminit *Clemens Alexandrin. lib.* VI. *Strom.* Sequitur, qui dicitur στολιστὴς, i. e. ornator, qui juſtitiæ cubitum & ad libandum habet calicem. Is ſcit omnia, quæ dicuntur παιδευτικὰ, i. e. ad diſciplinam & inſtitutionem pertinentia. Hi ſacerdotes ſine dubio dicti ſunt *Stoliſtæ* ab amictu, quod longis ſtolis induti inceſſerint, quale genus veſtium ſacerdotibus plerumque commune fuit, uti *Saubertus de ſacrif.* & celeberrim. *Braun. de veſtit. ſacerdot. Hebr. fuſe demonſtrant.* Videatur

quoque *Trogil. Arnkiel.* Von den Cymbriſchen Heydenthumb *pag. m.* 275.

VI. Quinti ordinis erant *Prophetæ*, quorum ſymbolum erat *hydria* in manu geſtata, atque horum officium erat, de rerum in Comitiis agitatarum eventibus judicare, ſiniſtros eventus à proſperis per auguria cæteraſque divinationum ſpecies diſcernere. Horum meminit *Clemens Alexandrin. l. c.* his verbis: Poſt omnes exit Propheta, qui apertè in ſinu geſtat hydriam, quem ſequuntur, qui emiſſos panes portant; is, ut qui ſit ſacrorum præfectus, ediſcit libros ſacerdotales, continent autem de legibus & diis & univerſa ſacerdotum diſciplina. Propheta etiam apud Ægyptios præeſt diſtributioni vectigalium. Atqui hi ſunt ordines ſacerdotalis dignitatis, quorum auctoritate, conſilio & prudentia, totius Monarchiæ Ægyptiacæ moles veluti fundamento inſiſtebat.

## CAP. IV.

### *De Judicum Synedrii Ægyptiaci numero, & hujus Principe.*

I. Viſis ſacerdotum Ægyptiorum ordinibus, ex quibus Judices in Synedrium recipiebantur; ordo requirit, ut paucis etiam de numero illius verba faciamus. Ante Paſtorum incur-

incurſionem, in capitalibus cujuſque Regni urbibus, *Memphi* olim, *Heliopoli* atque *Thebis*, Præfecturas juridicas conſtitutas fuiſſe veriſimile eſt. Jam verò poſt expulſos Paſtores, cum Ægyptus omnis unius imperio ſubjecta fuit, unum fuit totius Ægypti Tribunal, ſervata nihilominus Privilegii veteris ratione. Judices enim tam ex *Memphi*, atque *Heliopoli* quàm *Thebis* ad magnum Thebanorum Conſiſtorium electi ſunt, teſte *Diodoro Siculo lib*. 1. *pag*. 48. Confer. *Athanaſ. Kircher. Oedip. Ægyptiac. Syntag*. 2. *fol. m*. 120. *edit. Rom. Hugo Robinſon. in Annal. Mund. lib*. 2. *fol. m*. 123. *edit. Londin*. Et quidem ex ſingula harum *Decem*, ita ut numerus Judicum Synedrii hujus *triginta* fuerit, qui omnes controverſias dirimerent, & ſuum cuique tribuerent.

II. Si ergò aliorum populorum mores Hebræorum & Græcorum conſuetudinem perpendamus; certe illi certum numerum in Synedriis ſuis habuerunt. Ad Hebræos quod attinet, illi tria habuerunt tribunalia, quorum maximum Hieroſolymis erat conſtans LXXI. membris. Vide *Johan. Selden. tr. de Synedriis Hebræor. B. Carpzov. erudit. annot. ad Schickardi* משפט המלך *Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. p*. 628. *annot. ad Carol. Sigon. de Republ. Hebr*. alioſque. Deinde etiam *Synedrium* XXIII. virorum erat. Vid. *D. Quenſted*.

*Antiquit. Bibl.* & denique Synedrium *trium virorum*, quod minimum erat. Ita apud Græcos varia fuerunt *Synedria*, de quibus egimus in tract. de Synedr. Græcorum. Inprimis celeberrima erant *Areopagiticum* & *Amphictyonium*, in quibus certus aſſeſſorum numerus conſpiciebatur. Cætera jam ſilentio præterimus. Evolvere tamen poteſt B. Lector *Sigonii libellum de Republ. Athen. edit. Venet.* 1565. Joh. *Meurſ. lib. de Areopagit.* Ita Ægyptiorum Synedrium Magnum *Triginta Judicum* erat, teſte *Diodoro Siculo l. c.*

III. Numerum hunc confirmat ſæpe citatus Diodor. Sicul. lib. 1. pag. 48. his verbis: *Congreſſi* XXX. *hi viri*. Confer. *Hugo Robinſon. l. c.* & *Joh. Marsham. in Canon. Chron. pag. m.* 316. edit. *Lipſ.* Cur autem XXX. tantum electi fuerint & non plures ex his civitatibus, meritò quæritur? Quidam putant factum hoc eſſe ob libros *Mercurii*, in quibus tota politicæ doctrinæ & Philoſophiæ Ægyptiacæ exſtaret. Hi numero XLII. erant, quorum XXXVI. dictorum quinque ordinum virorum, potiſſimum X. quibus univerſa ſacerdotalis doctrinæ ratio, uti & hieroglyphicorum arcana ſcientia continebatur, mente tenere obligabantur; ut obortis in Regno difficultatibus diſſidiiſque, quomodo ſecundum traditas leges maturè iis occurrendum, prompta mente diſpicerent. Tenebantur hi Sacerdotes ut

X. li-




pag. 21.

x. libros accuratiſſime memoriæ impreſſos haberent; & ſi conjecturare licet; Ex quavis nobiliſſima urbe *Memphi*, *Heliopoli* & *Thebis decem* accerſebantur, quorum unuſquiſque unum tantum librum edidiciſſet, & ex illo expedite reſponſa dare poſſet; ita etiam de duabùs reliquis ſentiendum. Ne itaque fallerent, nec falli poſſent, ex quavis decem elegerunt, qui ſimul collecti numerum xxx. explebant, ita ut tres ex uno eodemque libro benè ſentire & judicia ferre poſſent. Verum vix his calculum addere poſſumus album, cum conjecturâ tantum nitantur. Probabilior illorum ſententia, qui ſtatuunt, xxx. Judices electos eſſe ad numerum NOMORVM Ægypti, in quos univerſa Ægyptus teſte *Strabone* diviſa fuerit, ut ita hi xxx. totius Ægypti ſtatum repræſentarent. Imò uti cap. I. oſtendimus in quavis harum trium nobiliſſimarum civitatum delubra fuiſſe, ubi quilibet NOMOS curiam propriam habuerit.

IV. Ex his igitur curiis judices eligebantur, qui Synedrium xxx. virorum efficiebant. Hi ſummum caput ſibi conſtituebant, ſeu Præſidem doctrina & gravitate morum conſpicuum, alios ætate ſuperantem. De hoc *Diodor. lib.* I. ita ſcribit: *Congreſſi hi* xxx. *viri unum ex ſe ipſis, qui optimus, ſummum Judicem conſtituunt, in cujus locum urbs alium Judicem conſtituit.* Hinc patet, Præſidem

 quen-

quendam ſeu caput in hoc Synedrio fuiſſe, uti etiam in aliis Synedriis apud varios populos. Hebræi in Synedrio ſummum caput ſeu Pontificem habuiſſe ex illorum ſcriptis elucet. Confer *Selden. de Synedriis Hebr.* Druidæ præſidem habebant, uti Cæſar meminit. *Olaus Magnus lib.* 3. *c.* 8. hujus in populo ſuo mentionem facit. Apud Pruſſos & Vandalos vocabatur CRIVE, reliqui autem, qui ſub illius imperio erant, SIGONOTÆ dicebantur; vid. *Dysburg. p.* 3. *Chron. Pruſſ. c.* 5. *Waiſel. in Chron. Pruß. fol.* 21. Germani quoque tale ſummum caput agnoſcebant referente *Cluver. pag.* 211. Romanis hunc morem uſitatum fuiſſe *Feneſtell. lib.* 1. *de Sacerdot. Rom. c.* 8. *Pomp. Lætus lib.* 2. *de ſacerdot. Rom. cap.* 9. Ita etiam *Ægyptiis*, teſte *Herodot. lib.* 2. *n.* 46. *pag.* 113.

V. Non autem putandum ac ſi Ægyptiis tantùm hæc conſuetudo uſitata fuerit, quod Judices Sacerdotes fuerint, cum & aliis populis hæc frequens. Ut igitur probemus hanc opinionem, ex *Æliano* teſtimonium afferemus, qui ita *Hiſt. Var. lib.* XIV. *cap.* XXXIV. Δικασταὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν. ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. Ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέστατον, &c. *Judices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes. In his Princeps erat maximus natu, & in omnes ſtatuendi jus habebat. Eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & ſinceriſſimum oportebat.* Apud Romanos

olim

olim Pontifices ſuum habuiſſe collegium & judicia exercuiſſe, non tantum in rebus ſacris, ſed & civilibus, nimis eſt notum, quàm ut probatione egeat. Videatur *Guther. de jure Pontif. lib.* I. *c.* XXIV. *&* XXXIII. *& lib.* 2. *cap.* I. II. *& ſeqq.* Imò Virgines Veſtales judicia exercuiſſe conſtat ex Gutherio, quem vide.

## CAP. V.

### *De horum Judicum veſtitu & victu, & quidem ſummi Judicis.*

I. CUM ergò hi Judices apud Ægyptios Sacerdotes fuerint, facile de veſtitu & victu conſtabit, de quibus in hoc capite acturi ſumus. Quod autem Judices certum veſtimenti genus habuerint in cauſa capitis teſtimoniis probabimus. Prætores apud Romanos Prætextam non mutabant, niſi in cauſa capitis, uti ex *Valer. Maxim. lib.* IX. patet, qui ſic de *C. Licinio* ſcribit: Conſimili impetu mortis *C. Linius Macer vir Prætorius repetundarum reus, dum ſententiæ dicerentur, in Mœnianum conſcendit, ſiquidem cum Marcum Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem vidiſſet*, &c. Poſita autem prætexta induebant *Pullam*, quæ in funere frequens. Apud Græcos *Nemei* certaminis *Judices pullatos* ſediſſe compertum eſt, quod ii ludi funebres eſſent. Apud Romanos

tamen Prætores in Megalenſibus, quorum Judices erant, prætextati ſedebant. Dubitationem *Seneca* tollit in 1. *de Ira cap.* XVI. cujus hæc ſunt: *Itaque etſi perverſa induenda Magiſtratui veſtis, & convocanda claſſico concio eſt, procedam in tribunal non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis.* Quem locum *Muretus* ſic explicat: *Prætextati incedebant magiſtratus; ſed cum civem quempiam capitis damnaturi erant, ponebant prætextam, eamque perverſam induebant: id eſt, partem illius floridiorem, ac nitidiorem introrſus ad ſe vertebant, mœroris ſignificandi gratia.* Confer. *Martin. de Roa Singular. lib.* 3. *pag. m.* 272.

II. Quare ita cenſemus Magiſtratus ac Judices in ea veſte ſemper judicaſſe, in qua forum & urbem inire vulgò ſolebant: ſi Reges eſſent, in veſte cultuque regio; ſi Prætores, ſi Judices in prætexta, aut alia quapiam uſitata, non apud Romanos ſolùm, ſed etiam apud Hebræos. Sic extra omnem dubitationis aleam ponimus apud Ægyptios Judices certum quoddam veſtimenti genus habuiſſe, cum jus dicerent. Facile autem conjicere poſſumus ex veſtibus Ægyptiacis Sacerdotibus communibus, quæ lineæ erant, uti ex *Herodoto* probavit celebr. *Braun. de veſtit. Sacerdot. lib.* 1. *cap.* VI. *pag. m.* 103. *edit. noviſſ.* Hunc morem plurimi populi retinuerunt, uti Trogil Arnkiel in libello **Cymbriſche Heyden**-Religion pluribus

bus teſtimoniis illuſtrat, quando ita pag. m. 273. diſſerit : **Die heilige Prieſter-Kleider ſind bey den Heyden lange weiſſe rocke geweſen / von koſtlichen Leinwad / mit einem gurtel umbgeben** : *Joſeph. Laurent. lib.* 3. *Polymath. Synop.* 5. Veſtes albas geſtarunt Gothici Sacerdotes, *Ola. Magn. lib.* 3. *c.* 8. Germanorum Sacerdotes, Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17. Gallorum, *Plin. lib.* XVI. *c.* 44. Ægyptiorum, *Herod. lib.* 2. *n.* 45. *p.* 113. Syrorum, *Roſſ. p.* 2. *de relig. Mund. q.* 3. *c.* 13. *Urſin. vol.* 2. *Analector. Sacr. lib.* 2. *num.* 26. Perſarum, *Diogen. Laërt. Præf. de vit. Philoſoph. p.* 5. *Curt. lib.* 3. *c.* 13. Græcorum, *Roß. l. d. P.* 4. *q.* 19. p. 187. Romanorum, *Feneſtell. lib.* 1. *de Sacerdot. Rom. c.* V.

III. Quod Sacerdotes Ægyptiorum linteis veſtibus amicti fuerint *Apulej. lib. Metam.* teſtatur XI. Antiſtites Sacrorum candido linteamine veſtiti erant. Confer. *celeb. Anton. van Dale in lib. de antiquit. ex marmor. edit. Amſtel.* 1702. *pag. m.* 168. *ſeq.* de Sacerdotibus *Iſidis* ſeu magnæ Matris Deûm diſſerentem. Inter quos tamen ſummum Sacerdotem aliter amictum fuiſſe ex *Luciano* probat *pag. m.* 169. inquiens : Summus autem Sacerdos quotannis alius ſurrogatur : qui ſolus purpuream veſtem gerit, & aurea tiara redimitur. Unde facile colligere poſſumus Judices Sacerdotes in Synedrio Ægyptiaco candidis amictos fuiſſe veſti-

bus ; Judicem verò ſummum ſeu Præſidem ornamentis quibuſdam præditum fuiſſe. Ille enim de collo, ex aurea catena dependens geſtabat ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων SIGNVM E PRETIOSIS LAPILLIS, cui nomen VERITAS. Audiamus *Ælian. lib.* XIV. *c.* XXXIV. ita ſcribentem : Apud Ægyptios olim Judices Sacerdotes erant : qui natu maximus, eorum princeps erat, & in omnes jus dicebat ; Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια, i. e. Gerebat de collo imaginem ex Sapphiro, & imago illa vocabatur VERITAS. Ex quo *Athanaſius Kircher. in Oedip. Ægyptiac. Syntagm.* 2. *fol. m.* 120. *Tom.* 1. *edit. Rom. cap.* 2. ita recenſet : Is (Judex ſummus) auream catenam ſuæ dignitatis ſignum, variis ornatum lapillis à collo ſuſpenſum, quod Veritatem dicebant, geſtabat. Confer. *Hugo Robinſon. in Annal. Mundi lib.* 2. *fol. m.* 123. *edit. Londin.*

IV. Idem videtur intellexiſſe *Diod. Sicul. lib.* 1. *cap.* 111. ubi de Judicibus Ægyptiorum diſſerit : Ἐφόρει, inquit, δ' ἀρχιδικαστὴς περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον Ἀλήθειαν. *Geſtabat judex ſummus in collo ex aurea catena pendens è lapillis pretioſis ſimulachrum, cui veritas nomen.* Ex utroque Auctore colligendum eſt, ſimulacrum hoc VERITATIS ex Sapphiro præcipuè confectum, aliis pretioſis lapidibus ornatum fuiſ-
ſe.

ſe. Tribunalis ſeu Synedrii Ægyptiaci imago ex Oſimandis ſepulchro exhibetur, quod ex variis probatis Scriptoribus deſcriptum nobis exhibet Angl. *Eques Johannes Marsham. in Can. Chronolog. Secul.* XV. *pag. m.* 429. *edit. Lipſ.* ita diſſerens: In ultimo pariete duæ ſunt ſtatuæ ſedentes, ex integro ſaxo XXVII. cubitorum; juxta quas ex periſtylio tres ſunt introitus, in domum columnis ſubſtructam, inſtar Odei, cujus ſingula latera duorum plethrorum: in ea multæ ſunt ſtatuæ ligneæ litigatorum, reſpicientium Judices. Illi, in uno parietum ſculpti, ſunt numero XXX; & in medio SVMMVS JVDEX, habens VERITATEM ex collo pendentem, & oculos clauſos, & libros plurimos ſibi adjacentes. Ex quibus clare cognoſcitur, quod Judex ſummus præ aliis Judicibus catena & ſimulacro Veritatis fuerit præditus.

V. Notandum autem quod ſimulacrum hoc dictum ſit Ἀλήθεια VERITAS. LXX. Interpretes Ægyptiaco Ἀληθείας vocabulo Ebræorum *Thummim* exprimunt, innuentes, Moſen, illo Sacerdotis ſummi ornamento, Ægyptios imitatum fuiſſe, ut citatus Angl. *Johannes Marsham. pag. m.* 316. aſſerit. Cui adſtipulatur Angl. *Johann. Spencerus in tract. de Legib. Hebr. ritualib. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* IV. *diſſert.* VII. *pag. m.* 388. 389. *edit. Haga-Com.* 1686. qui multis argumentis probare conatur, hoc

Pon-

Pontificis Ægyptiaci ſimulacrum idem eſſe ac apud Hebræos Pontificis *Urim* & *Thummim*. Quo reſpexerunt quidam doctiſſimi Interpretes, qui אורים ותמים Urim & Thummim per δήλωσιν ϗ ἀλήθειαν doctrinam & veritatem reddiderunt, ita *Vulgatus* & *Hieronymus* expoſuerunt, & *Chryſoſtom. Orat.* IV. *contra Iudæos*, δήλωσιν ϗ ἀλήθειαν explicat. Hoc ſenſu optimè cum pectorali ſummi Sacerdotis Hebræorum conveniret illa torques, quam habebat circa collum Sacerdos Ægyptiorum, cujus imago aut lapides pretioſi, aut etiam Sapphirina imago dicitur Ἀλήθεια VERITAS, uti annotavimus paulò ante. Verum antequam ad refutationem opinionis falſiſſimæ *Spenceri* & Marshamii progrediamur, ſententiam clar. *Martini Mauritii* in medium producemus, quam in *libr. de ſortitione Veter. Hebræor. pag. m.* 237. *ſeqq. edit. Baſil.* adduxit, quæ ſequentibus verbis ita exprimitur.

VI. Tradunt rerum antiquarum ſcriptores Diodor. Sicul. & Ælianus, *Judices* Ægyptiorum antiquitus geſſiſſe in pectore de collo pendentem bullam quandam ex pretioſis gemmis confectam, quam vocabant *imaginem Veritatis* ſeu *Veritatem*; eamque pro tribunali ſedentes partibus litigantibus applicaſſe, atque ſic veritatem ſeu juſtitiam fuiſſe manifeſtam. Ejuſmodi Judex erat *Moſes* quoque, in omni Ægyptiorum ſapientia educa-

tus:

tus : ergò & ipſe hujusmodi imaginem ex avito inſtituto geſtavit in pectore , tunc inprimis ea uſus , quando inter partes litigantes jus erat ei dicendum : tum enim accedebant illum , ut & alii , qui conſilium in rebus gravibus à Deo petebant , *Exod.* XVIII. 15. erat autem tunc temporis apud Ægyptios alioſque Orientales conſuetum , ut qui Judex erat , eſſet ſimul Sacerdos. Poſtea verò quam *Iſraelitæ* ex *Ægypto* erant liberati , Deus plurimos ritus priſcos immutavit , proprium & ſibi acceptum cultum inſtaurans : tum & hoc factum , ut duo officia , judiciale & Sacerdotale in duos diſtinguerentur ordines , inque duas diſtribuerentur perſonas , *Moſen* & *Aaronem ;* quorum ille retinebat officium forenſe , hic fungeretur ſacro ; quapropter huic etiam inſignia ſummi Sacerdotii fuerunt permiſſa. *Exod.* XXVIII. 30. *Intra pectorale immittas Urim & Thummim , ut ſint ſuper corde Aaronis.* q. d. in poſterum *Urim* & *Thummim* in *Aaronis* & cujuſvis ſuccedentis Pontificis pectorale geſtentur , quæ hactenus in tuo , Moſe , pectore fuerunt. Ubi obſervandum,quod *Exod.* XXVIII. dicitur : Et indas in pectorale *Urim* & *Thummim* , *Levit.* VIII. 8. dici ita : Et induit *Moſes Aaroni* pectorale , & in pectorale indidit *Urim* & *Thummim :* erat enim pectorale duplicatum, *Exod.* XXVIII. 16.

VII. Moſes ergò *Urim* & *Thummim*, oraculi divini

divini inſtrumentum, de ſuo pectore transplantavit in pectus *Aaronis.* Divinum verò hoc oraculum reſponſa dabat externo ſplendore gemmarum, quem & interius antiquum *Urim* & *Thummim* & exterius pectorale novum Aaronicum virtute divina fundebat: erant enim hæ gemmæ pectorales quaſi novum *Urim* & *Thummim*, aut cum veteri *Moſaico* coalitum in unum, ut tam gemma veteris *Urim* & *Thummim*, quàm gemmæ Aaronici pectoralis colluceſcerent ad aperiendam veritatem: à quo ſplendore ſimul & munere ejus vocatur *Urim* & *Thummim*, i. e. lucentia & recta, q. d. ſi lucent, recta quoque ſunt, quomodo ſæpe in S. Scriptura conjungitur *Lux* & *Veritas*; conf. *Pſalm.* XLIII. 3. Si cauſa aliqua inter partes controverſa & judicio humano imperſcrutabilis ad oraculum hoc deferebatur, ſplendore vel emiſſo vel denegato, bonitatem vel malitiam cauſæ denotabat. Confer. 1. *Sam.* XXVIII. 6. Sic in reddendis oraculis ſplendor Urim & Thummim certiſſimum erat & gratiæ divinæ & dati reſponſi indicium. Denique concludit his verbis: Quæ ſententia quanquam à nemine hactenus, quantum novi, quoad ſubſtantiam ☿ *Urim* & *Thummim* ſit aſſerta, quia tamen & ipſi S. Hiſtoriæ, & veterum Judicum Ægyptiorum ritibus ſit conformis, ita mentem meam occupavit, ut vix credam quicquam ſolidi contra eam poſſe effor-

formari. Huc uſque *Mauritius.*

VIII. Hanc quidem Cl. *Mauritii* ſententiam defendit doctiſſimus filius ſub præſidio plur. *Reverendi Maji Fautoris noſtri æſtumatiſſimi Giſſ.* 1696. cujus argumenta etiam proferemus. Inſcribitur Diſputatio illa de *imagine Veritatis fatidica* & *Juridica*, ubi §. I. ſignificat, quid per imaginem veritatis fatidicam intellectum velit, ſeipſum ſimul explicat, quod maxime quidem Hebræorum Urim & Thummim indicetur; ſed ſimul quoque id oraculi divini inſtrumentum, quod ipſum hoc Aaronicum præceſſit & ab Auctoribus vulgò *Imago Veritatis* vel *Veritas* nuncupari conſueverit. Et paucis lineolis interjectis dicit: Revera enim Hebræorum *Urim* & *Thummim* nihil aliud erat uſu ſuo, quàm imago veritatis, quâ Deus veritatem cauſarum inter litigantes partes & certitudinem futurorum eventuum arcanarumque rerum, pondus habentium, notitiam, gratioſe populo ſuo manifeſtabat. §. IV. hoc theorema ponit: Cultus Iſraeliticus & ante & poſt Exitum ex Ægypto plurima habuit communia cum cultu Ægyptiorum. Hoc theorema probare conatur, quia multa Ægyptii à Patriarchis habuiſſent; imò aſſerit, quod cultus Iſraeliticus in deſerto reſtauratus multa communia habuerit & retinuerit ex cultu Ægyptiaco; ubi tamen *Spenceri* ſententiam rejicit tanquam duram;

atta-

attamen in ſequentibus verbis defendit, quod plurima in reſtauratione cultus *Moſaici* retenta, quæ Ægyptii vel Iſraelitæ in Ægypto commorantes obſervaſſent, uti *Spencerus* de legibus Hebr. probaſſet, hac tamen limitatione addita, quod neceſſe non ſit dicere, Deum ex Idololatrico cultu in ſuum verum tranſtuliſſe; dari enim tertium, nimirum, Deum ea quæ Ægyptii ex Veteris ſeu Patriarchalis Eccleſiæ inſtitutis bona adhuc habuerunt, & retinuiſſe, & nova lege reſtituiſſe, Idololatricis ceremoniis exterminatis.

IX. Verum ut ad hæc pace viri docti reſpondeamus, haut calculum album addimus aſſertioni *Imaginem fatidicam Ægyptiorum* fuiſſe *Urim* & *Thummim*, & longe præceſſiſſe *Aaraonis Urim* & *Thummim*; quod veritati conſentaneum non videtur. Nam *Urim* & *Thummim* non à ירה *docere* & אמן *verum eſt*, derivantur; ſed ab אור & תם *luce* & *perfecto*. Optimè ergò *Luther*. **Licht und recht** reddidit. Audiamus ea quæ *Excell. & acutiſſimus Hillerus Profeſſ. O. L. in hac Alma famigeratiſſimus Fautor noſter æſtumatiſſimus in ſuo tract. de Gemmis duodecim in Pectorali Pontificis Hebræorum pag. m.* 60. *edit. Tubing.* 1698. adduxit: Splendor gemmarum vocatur אש eſch vel אשתא eſchtha Chaldaico effatu, vel אורים *Urim*, quæ dictiones *ignem* denotant, hinc & ipſum pectorale propter gemmas ſuas dictum Urim ve-

tum-

tummim, ignes & perfectiones, id eſt, natura & artificio perfecti ignes. Cadit igitur ſententia ex etymo allata, qua putat תמים veritatem ſignificare. Nec firmo ſtat talo §. 2. quo hoc theorema conſpicitur, ubi ſtatuit, Ægyptios præ cæteris Orbis populis laudem ſcientiarum habuiſſe, quam multis verbis probare vult; cui adjungit §. 3. ubi hoc theorema extat, quod Ægyptii ſapientiam celebratam habuerint à ſanctis Patriarchis. Hæc ſanè ſi accuratius examinaverimus, planè contrarium cum celeberrimis viris, *Braunio*, *Wormio*, aliiſque ſtatuimus, quorum teſtimonia paulo poſt publice dabimus. Quæritur itaque, quænam illa ſapientia Ægyptiorum fuerit, quam jactitent profani Scriptores? Ad quam reſpondemus, Aſtrologicam ſcientiam fuiſſe, ab Ægyptiis cultam, uti tradunt hiſtoricorum plurimi, & ipſe Athanaſius Kircher. in Oedip. Ægyptiaco hanc ipſis maxima laude tribuit.

X. Sed quam infantes, verba ſunt doctiſſimi *Wormii pag. m.* 94. *lib.* 1. *antiq. corrupt.* in cæleſtium motuum obſervatione fuerint Ægyptii Chaldæique ferè omnes, nemo in his ſacris mediocriter verſatus ignorare poteſt. Hanc ignorantiam itaque ſequentibus verbis ita probat: En quam motuum cæleſtium periti, ſtellarum in Occidentem motum non deprehenderant, ideò octavam ſphæram primum

C mo-

mobile opinabantur, Solem cæteraſque planetas in excentricis moveri neſciebant. Hinc ab uno æquinoctio ad alterum ſpatium æquale definiebant, idque non ex ſpeciali obſervatione, ſed ex ſolſtitiorum computatione. Vid. *Johann. Morin. in epiſt. ad Vendelin.* Hanc Ægyptiorum inſcitiam conſiderans vetuſtiſſimus Orphicorum auctor, non potuit non quin eos præ Abrahamo contemneret, quem ſolum fere Aſtrologum vocare dignatus eſt, & quidem apud *Clement. Alexandrin. Strom. lib. 2. & Euſeb. lib. 3. Præparat. Evangel.* hiſce verbis:

Οὐ γάρ κεν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπόῤῥωξ φύλου ἄνωθεν
Χαλδαίων, ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης
Καὶ σφαίρης, κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
Κυκλοτερὲς, ἐν ἴσῳ τε μετὰ σφέτερον κνώδακα.
*Nemo illum novit mortalia cuncta regentem*
*Unicus ille niſi Chaldæo ſanguine cretus*
*Norat enim ſolis qua ſe aſtrum lege rotaret*
*Et circum terram magnus ſe volveret orbis*
*Æqualiſque tereſque intus ſita circumplectens.*

Nullum autem alium his ſignificari aſſerit prælaudatus *Wormius*, quam *Abrahamum*, id quod variis teſtimoniis *pag.* 95. illuſtrat. Hinc conſtat, Ægyptios non tanta ſcientia præditos fuiſſe, ut vulgo putatur.

XI. Quod ad theorema ſecundum §. 3. adductum attinet, ubi aſſeritur, quod Ægyptii à Patriarchis ſcientiam hauſerint, id quod iterum

rum probabile videtur. Aut enim ab Abrahamo didicerunt, aut ab alio. Jam autem conſtat, ante Abrahamum nullum ejuſmodi inſtitutum viguiſſe in Ægypto. Ergò ſibi ipſi contradicit, quod ab Ægyptiis hauſerint Hebræi. Ita etiam cadit tertium theorema affirmans: Cultum Iſraëliticum ante & poſt exitum ex Ægypto plurima communia habuiſſe cum cultu Ægyptiorum, quod negamus cum celeberrimo *Braunio*, qui in *Select. Sacr. lib.* V. *Exercitat.* 1. *pag. m.* 580. 581. in hæc erumpit verba: *Turpiſſimè itaque delirant hodie non minus, quàm ſimplicius olim, quicunque affirmant, Hebræos & Circumciſionem, & Paſcha, & Templa, & Sacerdotia, & Sacrificia, & Sacerdotes, & Veſtes albas lineas, & Pectorale, Urim & Thummim, & Gemmas, & Tintinnabula, & Arcam & Cherubim, omneſque ritus, & religionem, & leges didiciſſe ab Ægyptiorum ritibus, ſiſtris, veſtibus xilinis albis, lapide Sapphiro, ἀληθείᾳ, ex eorum ciſta, & Teraphim, & imagunculis, aliiſque ſuperſtitionis & Idololatriæ inſtrumentis atque ritibus; Cum certiſſimum ſit, ipſos Ægyptios ſuorum pleraque per Cacozeliam ab Hebræis habuiſſe, & religionem, & ritus, & leges quamvis corruptiſſime, omnibuſque etiam ſanctiſſimis rebus in ſuperſtitionem verſis.* Et quamvis Ægyptiorum ſapientia apud reliquos populos maximè fuerit decantata, ut etiam *Stephan. Act.* VII. dixerit: *Moſen* edoctum fuiſſe in omnibus ſcientiis Æ-

*gyptiorum* , inde tamen probari non poteſt, Priſcos Hebræos ſapientiam didiciſſe ab *Ægyptiis*. Nam & ipſi Hebræi tempore Moſis, Ægyptii dicti ſunt ; & *Ægyptii* ſapientiam, quam profitebantur & quam docuerunt, ab *Abrahamo* illiuſque nepotibus didicerant.

XII. Ita & alia, quæ in dicta Diſſertatione continentur, recenſere poſſemus, ſi prolixi eſſe vellemus. Hoc tamen intactum linquere non poſſumus, quod §. VI. cum *Spencero* unum inflet cornu, qui *Æliani* & *Diodori* teſtimonia infallibilia æſtimat, cujus veſtigia duo docti viri preſſerunt, arbitrantes *Æliani* & *Diodori* auctoritatem tantam eſſe, ut ulteriori probatione opus non habeant. Verum quam labili fundamento nitantur hi cum Spencero pluribus ad oculum demonſtrarunt viri doctiſſimi, inter quos referendi ſunt plur. Reverend. Vir D. *Johann. Friederic. Mayer. S. R. M. Sueciæ Conſiliar. in Diſſert. Theolog. Kilon. habita* 1700. *de* λόγῳ, *pag. m.* 28. 29. ubi hæc leguntur verba, quæ huc adſcribere non pigebit: Nemo divino huic oraculo majorem intulit injuriam, quàm *D. Johannes Spencerus*, & paucis interjectis ſcribit: in quo illi adſtipulatur *Johannes Marsham in Canon. Chron.* Hunc errorem data opera refutarunt *Hermann. Witſius de Ægyptiorum ſacrorum cum Hebraic. collatione. Chriſtian. Worm. lib.* 1. *de corrupt. antiquit. Hebr. apud Tacit. & Martial. veſtigiis. Salomon*

Til-





*Tillius in Atrio Gentium. Johannes van der Wayen in Var. Sacris*, & ſpeciatim de Urim & Thummim ſententiam *Philipp. Ribeudealdus Cabilonenſis* peculiari Tractatu, qui Ægyptiorum ἀλήθειαν ex profeſſo rejecit, quod cum Hebræorum Urim & Thummim convenientiam habuerit. Vid. Excell. *Otho Profeſſor Marpurgenſ. Amicus noſter colendus in Diſſ. de Urim & Thummim*; quare benevolum lectorem ad illos remittimus. Imo apud alios moris quoque fuit, quod Sacerdotes fœminæ de collo imagines ſuſpenſas habuerint, uti ex effigie ex *Sponio* retulit *celebr. Anton. van Dale in antiquit. pag. m.* 142. *edit. Amſtel.* cujus rei imaginem hoc loco damus.

XIII. Ad victum quod attinet, ille dabatur à Regibus Judicibus, ita tamen ut ſummo Judici opulentior daretur quàm aliis. Vid. *Athanaſ. Kircher. Oedip. Ægypt. fol.* 120. *Syntag.* 2. qui hæc ex *Diodoro Siculo* retulit. Confer. Hugo *Robinſon. in Annal. Mund.* loco ſupra citato. Verum hîc non diu hærebimus, ſed ad alia magis neceſſaria nos conferemus.

## CAP. VI.

### *De modo agendi in hoc Synedrio.*

I. COEPTIS Judiciis ac ſigno veritatis à Principe Judicum propoſito, omnibuſque legibus, quæ octo libris continebantur, in

medio eorum conſtitutis, *diſceptationes* incipiebant. Vid. *Ælian. Var. lib.* XIV. *c.* 34. Sciendum autem eſt, quid per τὸ agere intellectum velimus, tunc reſpondemus, quod agere actionem apud Ulpian. *l. non ſolum* 39. §. 1. eſt in judicio proponere. Judicium verò definitur ab Ariſtotele diſceptatio de juſto & injuſto. In diſceptatione de juſto & injuſto neceſſe eſt tres eſſe perſonas: duas, quæ inter ſe diſceptent, & tertiam, cujus beneficio diſceptatio finem conſequatur, nimirum, ut in lucem producatur veritas. Hinc judicium, quatenus ſumitur pro eo quod ſimile eſt conventioni ſeu contractui, poteſt definiri ſocietas diſceptiva de eo quod juſtum vel injuſtum eſt, quæ conſtat ex tribus perſonis, actore conquerente de injuſto, *reo*, qui actori reſpondet, & judice lites dirimente & quid juſtum vel injuſtum ſit pronunciante.

II. *Actor* is eſt, qui querelam in Judicio proponit. Ut verò hic admittatur, & ut bene diſceptationem ſuam informet, inſtructus eſſe debet actione aliqua. Eſt autem hîc actio jus ſeu facultas jure competens perſequendi in Judicio, quod ſibi debetur. Et omnis actio fundata eſt in Syllogiſmo, cujus medium concludendi eſt damnum illatum. Concluſio verò continet modum illud damnum corrigendi. Corrigere autem eſt ei qui plus habet detrahere, & addere ei qui damnum perpeſ-

ſus

ſus eſt. Ex his patet, nemini actionem competere, niſi læſionem aliquam allegare poſſit. Læſio autem in eo poſita eſt, quod cum quis habeat jus, deſtituatur exercitio. Ita quoque in Synedrio coram Judicibus hoc modo actio inſtituebatur, ut duæ perſonæ coram Judice litigarent, quarum una *actor*, altera *reus* erat. Verum modus agendi hic erat.

III. Mos erat accuſatorem ea, in quibus alium accuſabat, modumque patratæ injuriæ aut damni facti, quanti eam æſtimaret, ſcribere, *Reo* tempus dabatur reſcribendi ad ſingula, quibus aut ſe id non feciſſe, aut rectè feciſſe vel purgando aut injuriam, vel damnum minoris æſtimando proteſtabatur. Scribere igitur hîc erat in judicio provocare. Unde in rem ſcriptæ actiones exceptioneſque appellantur, quæ generaliter in rem proponuntur & adverſus poſſeſſorem dantur, quanquam ex certæ perſonæ facto oriantur. Si igitur quis injuria ab altero affectus vel damnum ipſi illatum erat, tunc ſcribere vel æſtimare poterat damnum vel injuriam & lædentem accuſare. Damnum autem eſt omne malum, quod quis præter voluntatem patitur & pecunia æſtimari poteſt. Nam quod pecunia æſtimari nequit, nec in correctionem venire poteſt: nihil enim habemus, quod damnum vel lucrum æſtimare poſſit præter pecuniam, utpote quæ eſt communis menſura omnium rerum, quæ in

commutationem veniunt. Hinc ſi *bona inæſtimabilia*, veluti *pudicitia*, *vita*, *valetudo* & *integritas membrorum liberi hominis* amiſſa ſint, correctio fieri nequit; ſed tunc vitioſitas potius puniri ſolet.

IV. Accuſatione hoc modo facta, *reo* reſcribere permiſſum erat ad ſingula vel *exceptione*, vel *negatione*, vel *diminutione*. Cum enim intentio *actoris* ſit nihil aliud, quam concluſio Syllogiſmi, in quo fundatam actionem eſſe tradit, contineatque concluſio illa modum corrigendi, quem *actor* vult à *judice* adhibendum eſſe, quo injuſtum, quod ſe putat perpeſſum eſſe, corrigatur. Vocamus hanc intentionem *poſtulationem*, quia ſolebat apud *Romanos Actor*, comparente in judicio *Reo*, ſuam actionem prius edere, ac deinde deſiderium ſuum exponere, vel alterius deſiderio contradicere. Hîc *Reo* in Synedrio Ægyptiaco tempus dabatur ad ſingula ſcriptis reſpondere vel excipiendo, vel negando, vel factum minoris pretii æſtimando, vel ſeipſum purgando. Hôc factô rurſus *accuſatori Reoque* invicem locus erat. Ita his auditis litigatoribus, cum judices de controverſia quæſiviſſent, princeps *ſigno veritatis* in partem veriorem verſo, ſententiam ferebat. Bene modum agendi in Synedrio hoc expreſſit Anglus *Hugo Robinſonius* in *Annal. Mundi lib. 2. fol. m. 123. edit. Londin.* his verbis; *Actor & crimen, & facti modum* & *damni*

*æſti-*

*æſtimationem ſcripto exhibebat. REVS criminationibus libello ſcriptam opponebat defenſionem. Vel enim negabat , vel non concedebat peccatum, vel minori pœna dignum excuſabat. Bis uterque auditus eſt , datâ reſpondendi morâ. Tum collatis judicum ſententiis , alteri litigantium Veritatis tradebatur , Victoriæ jam , ſignum. Scriptis Ægyptii nudam rei veritatem citius expediri poſſe , quam orationibus putabant & voce vivâ. Cauſidicorum enim artibus , multum juri caliginis offundi , judicibus ipſis fucum fieri aliquando & fraudem.*

## CAP. VII.

### *De Lege & pœna perjurii.*

I. His ita prælibatis , haud alienum ab inſtituto judicamus , ſi antiquas Ægyptiorum leges , de quibus in hoc Synedrio actum, in medium proferamus , quo cognoſcamus , quam convenientiam cum aliis legibus habeant. Inter has ſit prima ex *Diodoro Sicul. lib.* I. *cap.* VI.

PERJVRI MORTE MVLTANTVR.

Ratio additur , quia *pietatem* in Deos violabant , & *fidem* , maximum ſocietatis humanæ vinculum. Duplici ergo ſcelere tenebantur in Deum & in homines. Ut igitur clarius res pateat , videbimus , quàm ſancta apud Ægyptios juramenta fuerint. Sanè *Ægyptiis* , refe-

 rente

rente *Grotio lib. 2. de jur. Belli & Pac. pag. m.* 247. *ex Diodoro*, Jusjurandum *μεγίστη παρ᾽ ἀνθρώποις πίστις, maxima fides hominibus inter ſe*; quare omnem moverunt lapidem, ut juramentum ſtrictè ſervarent. Hinc magnum apud *Ægyptios* & ſolenne juramentum erat per *Oſirin*, qui maximus illorum habebatur Deus, uti variis in locis oſtendit *Selden. de diis Syris. Confer. Elias Sched. de Diis German. pag. m.* 94. *Marsham. Canon. Chron. pag. m.* 32. *edit. Lipſ. Herman. Witſi. in Ægypt. pag.* 65. Hunc magnis honoribus afficiebant, & nefas eſſe ducebant JVRAMENTVM per OSIRIN factum violabile futurum, quare Scholiaſtes Lycophronis, *ὁ μέγας ὅρκος τοῖς Αἰγυπτίοις ἐτύγχανε μὰ τὸν Ὄσιριν.* Vid. *Tract. noſtr. de jurament. pag.* 12. Cum Ægyptii quoque Reges ſuos ut Deos colerent, per vitam Regum jurabant, quod in Ægypto magnum fuiſſe jusjurandum aſſerit Henricus *Ainsworthius Comment. in Geneſ. fol. m.* 148. *edit. Londin.* his verbis: *And ſo ſweare by the Kings-life was a great Oath in Ægypt.*

II. Jusjurandum itaque dictum velut *Jovis jurandum*, uti ex libello de Deo Socratis obſervavit *Apulejus*, ex quo excellent. *Andreas Adam Hochſtetter. Fautor noſter æſtumatiſſimus in Diſſert. de Juramentis*, recenſet: prodiit *Tubingæ* 1702. Confer. huc *Johann. Henric. Meibom. illuſtrat. ad Hippocratis jusjurandum edit. Lugd. Batav.* 1643. *cap. 2. pag. m.* 15. qui *Cicer. lib. 3. de Offic. Turneb.*

*Adverſar. lib.* VI. *cap.* XVII. *Lipſ. lib.* I. *Elector. cap.* 18. adducit. Græci Ὅρκον dicunt. Vid. *Franciſc. Rous Archaolog. Attic. lib.* 6. *cap.* IV. *edit. Oxon.* Ὅρκον quidem *Euſtathius* refert veteres cenſuiſſe dictum ἀπὸ τοῦ ὅρου ſeu *limite*, quod ὁρίζωσίν τι ὁμολογητικῶς ὀμνύοντες, *determinent aliquid qui definitivè jurant.* Ipſe verò ἀπὸ τοῦ εἴργειν, quod eſt *cogere*, derivat, aut quia is, qui jurat, καθείργνυταί πως οἷς ὁμολογεῖ, *coercetur quaſi aut compellitur ad ea præſtanda, quæ jurando adfirmat.* Alii ἀπὸ τοῦ ἀρκεῖν deducunt, i. e. *ſufficere*, quod litibus finiendis ſufficiat, maximumque ſit earum expediendarum remedium, ut Gajus JC. vocat L. I. D. de jurejurando, & ſit πάσης ἀντιλογίας πέρας ἐς βεβαίωσιν, finis omnis controverſiæ ad certitudinem, ut cum *Paulo* ex *Epiſt.* ad Hebr. c. VI. loquamur. Sive ἀπὸ τοῦ ἀρκεῖν, quod eſt βοηθεῖν *juvare*, ut notat Auctor Etymolog. ὥσπερ γὰρ βοηθήματι αὐτῷ χρῶνται οἱ ἀδικούμενοι: pro remedio eo utuntur, qui injurioſi ſunt in alios. *Guilielm. Stuck. lib. de ſacrif. Gentil. fol.* 91. ὅρκον dici putat, quaſi *Orcum*, quod jurisjurandi violatores ad *Orcum* ſint detrudendi.

III. Quoniam autem in juramentis res cum Deo eſt, & nullum vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando inter mortales arctius habetur, vix ulla unquam gens extitit, quæ non ſingulari cum reverentia ad jurandum acceſſerit; hinc *Ariſtoteles* naturam juramenti de-

deſcribens lib. *Rhetor. ad Alexand. cap* XVIII. in hæc prorumpit verba : Ὅρκον εἶναι μετὰ θείας προσλήψεως φάσιν ἀναπόδεικτον, *Jusjurandum eſſe cum veneratione divina aſſertionem , quæ demonſtratione non indigeat.* Paulò aliter eam effert, & quaſi explicat *Clemens Alexandrinus Strom. lib.* VII. & juramentum ait eſſe ὁμολογίαν καθοριστικὴν μετὰ προσπαραλήψεως θείας , *adſertionem definitivam cum divina veneratione.* Nec aliud vult illa *Ciceronis* definitio , quæ habetur *lib.* III. *Offic.* quod ſit *affirmatio religioſa Deo adhibito teſte.* Unde *Philo lib. de Decalog.* jusjurandum vocat teſtimonium Dei de rebus dubiis. Ea cauſa etiam *Paulus* JC. jusjurandum *religionem* dixit, *L.* 24. *D. de juram.* Idque ut *Lactant. lib.* IV. *cap.* XXIV. voluit, quod jurejurando mens jurantis ligetur & religetur : ſeu potius , quod juramentum jurantem religione obſtringat, h. e. conſcientiæ ſcrupulum moveat , ob Numinis conteſtationem adhibitam.

IV. Cum ergò juramentum ſit res religioſa, graviter hi peccant , qui *perjurium* committunt. Nam pietatem in Deos violant & fidem maximum humanæ ſocietatis vinculum frangunt; quare jure meritoque *Ægyptii* PERJVROS morte dignos judicarunt. Non ſolùm autem Ægyptii , ſed etiam alii populi , quorum teſtimonia in medium proferemus. *Maimonides in lib. de juramentis cap.* XII. hæc refert :

fert : Tametſi vani vel falſi juramenti reus, flagellationis pœnam luat, & qui de depoſito vel teſtimonio pejeravit, ſacrificium offerat; non tamen iis omnimodè juramenti talis iniquitas condonatur, q. d. *Non dimittet Deus impunitum*, *Exod.* xx. 7. Ad quæ verba & ſequentia Cl. *Joh. Frederic. Mieg. Theol. quondam Doctor & Profeſſor Heidelberg. in annotat.* ita commentatur : Merentur hîc apponi, quæ de vani falſique juramenti gravitate duo inſignes Commentatores, *R. Bechai* & *Aben-Ezra* ad *Exod.* annotarunt. Prioris verba hæc ſunt: Fundamentum prohibiti juramenti vani & falſi, quod ipſam fundamentalem veritatem ſubvertat, ſitque fidei abnegatio; ſive enim Pentateuchus à jurante manu teneatur, ſive non, habetur, ac ſi abnegaret legem & eum, qui dedit ipſam, Deum benedictum; Ejus enim verba æquipollent hiſce; Quam certè Deus eſt veritas; tàm certè ſunt vera verba mea; quæ ſi adeò falſa ſint, eſt ac ſi Deum falſitatis redargueret. Poſterior autem ita: Mos obtinet hodieque inter *Ægyptios*, ut qui per vitam Regis juravit, nec ſervat juramentum, MORTE AFFICIATVR, nec vitæ gratiam vel tanto auri pondere, quantus eſt ipſe, redimere queat; ſiquidem Regem publice ſprevit: Quod ſi fiat propter Regem terrenum, cujus principium vanitas, regnum vanitas, finis vanitas, quantò infinities æquius

quius eſt, in juramenti divini Numinis Venerationem obſervari.

V. Videmus etiam quod *Saul* *Jonathanem* filium ſuum hoc ipſo nomine morte afficere voluerit, quod non obſervaſſet juramentum, 1. *Sam.* xiv, 27. Et tamen *Jonathan* non protervè, ſed ex ignorantia id fecerat; Unde addiſcimus, PERJURUM MORTIS reum eſſe, æquè ac eos, qui capitali ſupplicio in foro afficiuntur: quandoquidem & Scriptura illud peccato adulterii æquat, utpote de quo æque ac hodie dicitur לא ינקה *Proverb.* vi. Ideò & Deus propter violatum à *Saule* juramentum Gibeonitis præſtitum famem in terram immiſit. Summa in Decalogo nullum eſt præceptum, quod promiſſionem annexam habeat, præter illud de honorandis parentibus; nullum quod comminationem, præter illud de Idololatria & juramento falſo. Græci ſi hominem peſſima nota exprimere vellent, vocabant eum ἐπίορκον, qui *perjurus* eſt. Vid. *Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* vi. *c.* vii. *pag. m.* 288. *edit. Oxon.* Peſſimum igitur æſtimabant Græci *perjurum* & graviſſima pœna dignum, nam perjurio ipſos Deos ſibi infeſtos facere aſſerit *Ælian. Var. lib.* xiv. *cap.* 2. *pag.* 719. *edit. Argentor.* Plato de Legib. lib. xi. talem fert legem: *Nemo Diis invocatis mendacium dicat aut decipiat, aut adulterare verbo, vel re quicquam audeat, niſi Deo velit odio eſſe. Cui quidem*

*dem odio eſt; qui falſo jurans, Deos parvi pendit.* Et paucis interjectis: *Quicunque in foro aliquid adulterat, mentitur certè & decipit, Diiſque advocatis adverſus rerum venalium Curatores eorumque jura pejerat. Qua certè in re nec homines veretur, nec Deos colit*, addito ſanctiſſimo monito: *Æquum profectò eſt nomina Deorum non facilè inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere: ſed omnia, quæ ad Deos pertinent, pure caſteque ſervare.*

VI. Atque hinc iſta jurisjurandi religio, quo, ut *Cicero de Offic.* 1. de popularibus ſuis loquens, ait, *nullum vinculum ad adſtringendam fidem Majores noſtri arctius eſſe voluerunt.* Merito enim impium videbatur, violare, quod Deo teſte promiſeris, ejuſque nominis ſanctitate ad alios decipiendos abuti. Ideoque non poſtremam eam Deorum curam judicabant, inſpicere, quæ cuique in ſervandis juramentis religio, aut negligendis impietas, ſuamque in iſtos iram atrociſſimis pœnis effundere, qui, dum jurejurando ſeſe obſtringerent, Deos non teſtes minus, ac ſi fallerent, vindices invocaverant. Inde Jupiter *juramentorum Præſes* ab *Euripide in Medea Act.* 1. & *jurisjurandi Inſpector* à *Sophocle* 1. *Trach. v.* 1195. appellatur. Hinc *Horcius Jupiter* dictus & apud Sophoclem l. c. Ἐπώμοτος ſeu ὅρκου ἐγγυητὴς ſeu ſponſor dicitur, uti explicat *Suidas*, aut τοῦ ὅρκου ἔφορος, ut habet Scholiaſtes *Thucydidis Hiſt.* *lib.*

*lib.* 1. Videturque idem fuiſſe, quem *Romani* vocabant Δία πίστιον & DIVVM FIDIVM, cui eaſdem partes reſignabant. Erat olim *Jovis Horcii* ſignum in Olympiæ curia, ſpecie maximè formidanda, utraque manu fulmen tenens, ante cujus pedes tabula viſebatur ænea, cum inciſis elegis, quibus à *perjurio* deterrebantur homines, ut auctor eſt *Pauſan. in Eliac.* Confer. *Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* VI. *c.* VII. *pag. m.* 289. *edit. Oxon.*

VII. Jurisjurandi contemptam religionem Deum ultorem habere cenſuit Alexander Imperator *l.* 2. *c. de reb. credit. & jurejur.* Quo reſpiciens *Pindarus Olymp. Od.* 2.

—— —— παρὰ μὲν τιμίοις
Θεῶν οἵτινες ἔχαι-
ρον εὐορκίαις,
Ἄδακρυν νέμονται
Αἰῶνα· τοὶ δ᾽ ἀπροσόρα-
τον ὀκχέοντι πόνον.

—— —— *apud honoratos*
*Deos illi qui gaude-*
*bant fidelitate in jurejurando*
*Illachrymabili fruuntur*
*Ævo: alii autem viſu horren-*
*dum tolerant cruciatum.*

Imò perjurium tantum crimen judicarunt, ut crediderint pœnam in poſteros quoque tranſmitti. Vid. *Hugo Grot. de jure B. & P. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 1. Pariter Jovem Horcium *perjuria* vindicare,

dicare, veteres putarunt, quanquam horum vindictam *Heſiodus* ἐν Ἔργοις *Erynnibus* tranſcribat, eaſque ὅρκου πιννυμένας, ſeu PERJVRII vindices vocet: quæ *Homero* etiam *Iliad*. T. ſunt:

—— —— αἵθ' ὑπὸ γαῖαν
Ἀνθρώπους τίνυνται, ὅ τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ·
—— —— *qua tellure ſub ima*
*Caſtigant meritis hominum perjuria pœnis.*

Imò refert Anglus *Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* VI. *cap.* VII. *pag. m.* 289. quod quidam fontes prope aliquod templum fuerint, qui *Perjurium* vindicaſſent. Verba ejus hæc ſunt: *I have read that in a Temple at Palice a City in Cicily, there were certain Crateres or fonts, out of which there roſe ſometimes flames, and ſometimes hot boyling water: and that thither people uſed to reſort from other places, for deciding of Controverſies by taking an oath. For if any one ſwore falſe near thoſe fonts, he was preſently ſtrucken blind, or lame, or dead in the place.*

VIII. Cum ergò Jusjurandum ad religionem pertineat; itaque Deus non vult ut quiſquam perjuraret in nomine ſuo, *Levit.* XIX. 12. *Matth.* V. Lex *Platonis* eſt *de Legib.* 12. ut pauciſſimis jurare liceat. Eſt & apud *Ciceronem* illa: *Perjurii* pœna divina, exitium: humana dedecus eſto, 2. *de Legib.* Ac tametſi leges civitatis eſſe contemptæ videantur: tamen quod jurisjurandi contemptio Deum ultorem ha-

beat, ideeque nec periculum corporis, nec majeſtatis pœnam inducat: qui in Deum peccant, etiam Principum legibus puniendi ſunt, *lib.* 1. *Codic. tit.* 1. Fundamenta & rationes hujus ſunt iſtæ, quia (1) jusjurandum eſt affirmatio religioſa, neque ullum vinculum eſt ad diſtinguendam fidem hoc arctius, uti ex *Cicerone* adduximus. (2) Qui falſum jurat, ipſum Deum contemnit: contemtus autem Numinis divini puniendus, *Plato* 1. *de Legib.* (3) Improbus & impudens talis merito judicatur: quia coram ſe majoribus mentitur, *Plato* ibidem. (4) Talis enim fidem inter homines tollit: quia maximum vinculum ſocietatis humanæ jusjurandum, *Diodor. lib.* 1. *c.* 6. Ideoque Ægyptii capite perjuros mulctarunt. Cenſores quoque Romæ de nulla re magis & ſeverius, quàm de jurejurando judicare ſunt ſoliti, *Alexander ab Alexand. lib.* III. *c.* 13.

IX. Extra omnem dubitationis aleam hinc ponimus, quod *Perjurium* militet contra omne jus *divinum* & *humanum*. Contra *divinum*, cum Lex Exod. xx. & Levit. XIX. expreſſe perjurium prohibeat. Contra jus humanum, decreta decretalia & Leges, uti argumentis plurimis probat *Pepin. in tract. de deſtruct. Niniv. pag. m.* 139. 140. Quare etiam à Magiſtratu tanquam atrox blaſphemia puniri deberet. An autem hodie Perjurii ſufficiens ſit pœna juxta leges noſtras, quâ infames redduntur,

uti

uti *Jodoc. Damhouder. in praxi criminal. pag. m.* 109. *edit. Antverp.* 1562. vult, & Leges XII. *Tabular.* jubent, valde dubitatur, cum nulla ſit proportio inter crimen & pœnam; & Deus apud *Zachar. c.* v. aliam pœnam in Perjuros ſtatuat, nempe *excisionem*, quæ vel à Deo ipſo fit, vel per Magiſtratum. Modeſtinus eandem pœnam eſſe reſpondit, quæ *Stellionatus*, L. *vit. ff. de crim. ſtell.* Si itaque *perjurium* eſt *blaſphemia*, ſequitur quod morte puniendum. Nam ſi lædere Majeſtatem terreſtrem, morte puniatur; quid de læſione Numinis divini dicendum erit? Longe gravius eſt æternam, quàm temporalem lædere Majeſtatem. Sed qui contra temporalem Majeſtatem delinquit, punitur. Ergo multo fortius iſti puniendi ſunt & gravius, quia majora delicta majoribus pœnis ſunt punienda. Aſſerimus hinc Perjuros non tantum infamia, ſed & morte puniendos eſſe, uti Deus ſæpe hoc jus in perjuros exercuit: vid. *Richter. Axiomat. Oeconom.* CI. *pag. m.* 252. ſeqq. ubi plurima exempla de pœna à Deo contra perjuros immiſſa legi poſſunt. Verum hæc hoc loco ſufficiant.

## LEX SECVNDA.

## SI QVIS IN VIA HOMINEM VEL INTERFICI CERNERET VEL PVLSARI, NEQVE SVBVENIRET AVXILIO, SI POSSET, MORTE DAMNANDVS ERAT. SIN AVXILIARI NON POTERAT, PRODERE LATRONES JVBEBAT LEX, ET ACCVSATIONE PERSEQVI.

Vid. Hugon. Robinſon. in Annal. M. fol. 123.

I. Hæc lex agit de obligatione hominis erga alium, qua tenetur in omnibus vitæ neceſſitatibus illi ſuccurrere. Nam homo homini ea tantum cauſa, ſi nulla alia eſſet, quod homo ſit, prodeſſe tenetur, uti probat & oſtendit *Petr. Gregor. Tholoſan. in præl ud. Optim. Juriſconſulti lib. 2. cap.* XIX. *n. 5. edit. Lugdun.* 1583. Verba itaque legis neminem excludunt, ſed omnes obligatos eſſe aſſerunt, mandantque ut omnes, qui cernerent quendam à Latronibus interfici vel pulſari in via, ipſi auxilio venire deberent. Si enim ex mente JCtorum illud *necare* quoque dicitur, cum quis proximo in neceſſitate alimoniam denegat, *Paul. l. necare ff. de agn. & alend. lib.* Certe & hoc *necare* erit, cum quis alteri in diſcrimine vitæ non ſuccurrit, cum poſſit, & occidi patitur, cum vitam conſervare poſſet. Conſentiunt huic legi tam Rabbinorum teſtimonia quàm aliorum Scriptorum, quæ huc adducere non pigebit.

II. R. Maimonides in הלכות רוצח cap. 1. ita literis prodit: *Qui proximum ſuum perſequitur ad eum occidendum, etiamſi perſecutor ſit parvulus, omnibus injunctum eſt liberare eum è manu perſecutoris, quocunque poſſunt modo* אפילו בנפשו של רודף *etiam cum jactura vitæ perſecutoris.* Præceptum petunt ex *Deut.* XXV. 12. Sermo ibi eſt *de muliere, quæ dum conatur maritum è manu percuſſoris eripere, manu ſua apprehenderit pudenda ejus*, & additur; Tunc abſcindes manum illius, non parcet oculus tuus. Quod explicant, ideò juberi manum hujus mulieris abſcindi, quod inde periculum vitæ immineat viro illi quem ſic prehenderit. Hinc generalem regulam exſtruunt, *Opem ferendam illi, cujus vitæ vis infertur, etiam ad cædem uſque vim inferentis.* Vid. diſſert. cl. *Johannis Buxtorff. de homicid. edit. Baſil.* 1663. Quod autem addatur, manum illius abſcindendam eſſe, rationem dat *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 116. quia immodeſto modo hoc fecerit, aliàs quoad prius juſte ſe feciſſe aſſerit inquiens: *It was lawfull for her to doe, and a fruit of her love.*

III. Aliud hujus fundamentum petunt ex illo לא תעמוד על דם רעך Non ſtabis ad ſanguinem (h. e. cædem) proximi tui, Levit. XIX. 16. Hoc eſt; Non ſtabis otioſus, ſed opem ei feres, quacunque ratione potes. Hoc præceptum transgredi volunt eum, qui à

 mor-

morte aliquem liberare poteſt, & id non facit. Hinc concludunt etiam; Si quis videat proximum ſuum in aqua ſubmergentem, aut à latronibus, vel à feris beſtiis impetitum, vel alio in periculo vitæ conſtitutum, illum vi hujus præcepti tenere ipſum liberare. Sic volunt peccare, qui teſtimonio ſuo proximum à morte liberare poteſt, & id non facit. Habentur hæc in *Talmud Sanhedrin. cap.* VIII. Ita quoque hæc verba explicat *Henric. Ainsworth. Comment. in Levit. cap.* XIX. *fol. m.* 113. *edit. Londin. Not ſtand againſt the blood, that is, not ſtand and ſee thy neighbors blood ſpilt, and thou withdraw thy helpe from him either by word or deed.* Huic adſtipulatur Paulus Fagius in annot. ad Paraphr. *Chaldaic.* his verbis, *Ne ſtes contra ſanguinem proximi*, quibus verbis innuitur, quod quis non debeat deſerere proximum ſuum, quem videt in mortis periculo conſtitutum, vel à latronibus petitum, unde tamen illum eximere poſſet. Nam ut Hebræi dicunt: *Quicunque liberare poteſt* (proximum ſuum) *aliquo membrorum ſuorum & non facit, perinde eſt ac ſi ſanguinem fundat & mortis reus eſt.* En convenientiam cum Lege hac Ægyptiorum.

IV. Audiamus verba *Maimonidis Tom.* IV. *tr. de homicid. c.* 1. *ſect.* 6. 7. 13. 14. quæ Anglicè recenſuit prælaudatus *Ainsworth.* fol. 113. edit. Londin. Quæ hæc eadem affirmant, quæ jam diximus: *He that purſueth his neighbour to kill him,*

*him, all Iſrael are commanded to deliver the purſued from the hand of the purſuer, yea though it be by the life of purſuer. As if he hath been warned to leave off, and yet he purſueth him,* &c. *he may be killed. And if thy can deliver him with the loſſe of ſome of the purſuer's limmes, as by ſtriking off his hand, or breaking his leg, or ſtriking out his eye, let them doe it. Who ſo can deliver him, by bereaving the purſuer of a limme, and doth not, but killeth the purſuer: that man ſheddeth blood, and is guiltie of death; how be it, the Magiſtrates may not put him to death. Whoſe can deliver and doth not, transgreſſeth this law, Thou ſhalt not ſtand againſt thy neighbours blood. And ſo he that ſeeth his neighbour ſinking in the ſea, or theeves, and can deliver him, either by him ſelfe, or by hiring of others to deliver him, and doth not breaketh this Law.* Ex his & præcedentibus teſtimoniis ſatis conſtat obligatos fuiſſe Iſraelitas liberare à latronibus invaſos, & ſi non feciſſent, mortis reos fuiſſe, qui id, quod potuiſſent prohibere, permiſiſſent.

V. Addunt quoque Rabbini, Deum velle, ut mundus hic inhabitetur, & habitatio ejus conſervetur eripiendo debilem è manu fortioris; eum, qui injuſtam vim patitur, indeſinenter Deum invocare ut ſalutem ſibi afferat. Deum autem requirere, ut curam ſuſcipere ejus, qui perſecutionem ab alio patitur, ſicut *Salomon* inquit Eccl. III. 15. *Deus requirit*,

*curam habere perſecutionem patientis.* Hæc omnia verò ita aſſerunt; (1) Vt velint neminem teneri ſeipſum periculo vitæ propter alium exponere. (2) Eo uſque non progrediendum, donec videat, nullam aliam viam eſſe proximum è manu perſecutoris eripiendi; quamdiu quis poſſit cædem prohibere alia ratione, veluti mutilatione membrorum, vulneratione, vel alia læſione, tamdiu eſſe abſtinendum: aut ſi aliter fecerit, homicidii reum eſſe. In his quoad aſſertionem quæſtionis primæ, nihil exiſtimamus eſſe abſurdi; quoad ſecundam, dubitamus utrum adducta loca ſingula ad ejus confirmationem ſint ſatis ſolida & idonea. Quatenus ſalus proximi innocentis intenditur, ut is ſervetur à vi injuſta, eatenus licet omnem ipſi poſſibilem opem ferre; an verò uſque ad cædem devenire adhuc in medio relinquimus: periculoſum eſt in hujuſmodi caſibus modum ſervare.

VI. Aliorum Scriptorum teſtimonia recenſere jam Ordo poſtulat, quæ omnia teſtantur, hominem ad id obligatum eſſe, ut alteri in neceſſitate & periculo ſuccurrat. *Cicero lib.* III. *Offic.* ita diſſerit: Pro omnibus generibus, ſi fieri poſſit, conſervandis, aut juvandis, maximos labores moleſtiaſque ſuſcipere, &c. *Ovid. de Pont. lib.* 2. *Regia, crede mihi, res eſt, ſuccurrere lapſis.* Et rurſum *epiſt.* 9. *Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas. Diogen.*

*Laërt.*

*Laërt. in Solon.* tradit: *Humanitatis* ſcil. dicente etiam *Lactantio div. Inſtit.* VI. 11. officium eſt, neceſſitati hominis ac periculo ſubvenire; adeoque ut idem iterum, *qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit.* Quid enim, quæ *Tertulliani verba ſunt adverſus Marcion. lib.* I. *p.* 159. *tam malignum, quam nolle prodeſſe cum poſſis, quàm injuriam ſinere?* Hæc omnia cum Lege Ægyptiorum ſatis conveniunt.

VII. Quæ in Lege hac Ægyptiorum extant, etiam apud nos obtinent. Nam lege Cornelia ille homicidii reus tenetur, qui cum poſſet opem ferre periclitanti, non tulit, adeoque in cauſa eſt, ut ab alio occidatur, *l. culpa* 50. *l.* 108. *D. de reg. jur. arg. l.* 3. *D. de juſtit. & jur. l.* 1. §. 28. *D. ad Sc. Silanian. c. qui non facit. de regul. jur. in* 6. *Althuſ.* 1. *dicajol.* 119. *&* 228. *n.* 5. Additur in lege: Si auxiliari non poſſet tenetur Latrones accuſare inſtar vindicis ſanguinis apud Hebræos illoſque perſequi. Licebat enim ipſi vindici ſanguinis, quis ille etiam ſit, homicidam ad tribunal trahere & ad jus dicendum revocare, ſi ad aſylum profugiſſet. Vid. cl. *Joach. Chriſtophor. Stoer de vindice ſanguinis Diſſert.*

## LEX TERTIA.

## CALVMNIOSI ACCVSATORES STATVTAM FALSO A SE DELATIS POENAM SVBIBANT.

I. Statutam pœnam calumniatorum *Ægy-*

*ptiorum* nobis oſtendit *Diodor. Sicul. lib.* 2. *c.* 3. qui *mortis ſupplicio* illos afficiebant. Ut igitur hæc lex & illius gravitas eò melius intelligatur, ratum eſſe ducimus ut omnia vocabula bene examinentur, quo proportio pœnæ dignoſcatur. Calumnioſi itaque accuſatores vel calumniatores ſunt, qui ſcientes prudenteſque per fraudem litem aut controverſiam faciunt alteri, ut vexent eum, vel ut ei aliquid extorqueant. Vid. *Lexicon Juridic. ex Briſſonio* aliiſque conſcriptum *pag. m.* 168. Nomen habet calumniator à *calumnia*, quæ pro accuſatione accipi videtur in *Arcadii* & *Honorii* conſtitutione, *l. ſancimus C. de pœn.* ſed quæ calumnioſe inſtituta eſt, ut ibid. *Accurſius* docuit. Calumniari apud Scriptores claſſicos eſt, falſum crimen ſcienter intendere: vel per fraudem & rationem doloſam, vincendi gratia alium litibus vexare, *Cicer. pro Sex. Roſc.* 33. & *Calumniator* eſt, qui per fraudem & fruſtrationem alium vexat litibus, aut qui malitioſe aliquid interpretatur, *Cicer. pro Cluent.* 131. Hebræis *calumnia* ſeu falſa accuſatio dicitur עשק deſcendens à radice עשק quod ſignificat opprimere per vim & fraudem, vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmud. fol. m.* 1679. Græcè διαβολὴ, συκοφαντία, ἐπήρεια, *a falſe accuſation.* Et ita Calumnia eſt callida quædam fallendi ratio cum malevolentia conjuncta. Vid. *Thom. de S. Quercu Lexic. Etymolog. edit. Londin.*

II. Peſ-

II. Peſſimum hoc eſſe crimen oſtendit *Richter. in Axiomatib. Oeconom. axiom.* CXLII. *pag.m.* 302. ex *Strigel. in* 2. *Sam.* 16. hiſce verbis: Calumniator tribus perſonis eadem opera nocet. Nam delatum injuria afficit, & auditores veritate privat: & conſcientiam ſuam atrociter ſauciat. Omnis calumniator ſcribit *Philip. in Cordial. Abraham. Bucholceri pag.* 20. eſt ſimul injuſtus & crudelis; Unde merito Calumnia eſt malum ſæviſſimum, in quo duo ſunt, qui injuriam inferunt: & unus qui injuria afficitur, qui injuriam patitur. Nam qui calumniatur, injuriam facit ei, quem calumniatur abſentem. Qui perſuaſus aſſentitur calumniis, eidem injuriam facit abſenti, quod aſſentitur calumniæ re non explorata. Confer. *Peucer. in lect. Chron. d.* 8. *Mart.* 1572. Quare *Bernhardus* non male dixit: Detractor & auditor detractoris, uterque habent Diabolum: iſte in lingua: hic verò in aure. Ex his patet, quàm horrendum crimen calumnia ſit, & quàm deteſtandi ſint calumniatores. In hujus teſtimonium afferemus *Sigfried Sacci* verba *in Poſtill. pag.* 365. *d.* **Die Alten haben geſagt ein verleumbder ſey ein dreyfacher Moerder. Denn er begehe dreyerley todtſchlaege mit einem ſtreiche. Erſtlich mordet er ſich ſelbſt / durch wiſſentliche lugen und todtſunde. Zum andern er mordet den / dem er ſeinen Namen abſtielet. Zum dritten mor-**

**det**

det er die / ſo ihm zuhoeren und ſeine ver-leumbdung glauben.

III. Cum igitur calumniatores & calumnioſos accuſatores Ægyptii tanti criminis reos putarint; itaque ſupplicium mortis in ipſos ſtatuerunt, quod etiam alii fecerunt. *Plaut. in Pſeudol. Act.* 1. *ſc.* 5. *v.* 12. Homines qui geſtant, quique auſcultant crimina, ſi meo arbitratu liceat, omnes pendeant, geſtores linguis, auditores auribus. Apud *Romanos* quidem ita graſſabatur calumnia, ut ſumma vi cogerentur Imperatores extinguere. Illo tempore incredibilem in morem invaluerat calumnia, nam Sycophantæ improbis Imperatoribus ſubſerviebant, homineſque deferebant, donec prudentiores Reges exoſi iſto calumniandi more delatores graviter punirent. Sic (1) de *Tito* ſcribit *Suetonius in ejus vita cap.* 8. Inter adverſa temporum delatores mandatoreſque erant ex licentia veteri. Hos aſſiduè in foro flagellis cæſos, ac noviſſime traductos per Amphitheatri arenam; partim ſubjici in ſervos, ac venire imperavit, partim in aſperrimas Inſulas avehi. Utque etiam ſimilia quandoque auſuros perpetuò coerceret, vetuit inter cætera, de eadem re pluribus legibus agi. (2) *Domitianus* Imperator aliàs minus laudabilis in hac parte laudabiliter ſe geſſit, ut *Suetonius* in *ejus vita cap.* 9. oſtendit: Fiſcales calumnias magna calumniantium pœna repreſſit; fere-

ſerebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat. (3) Ab *Herodiano lib.* 2. *c.* 18. laudatur *Pertinax*, quod delatores urbe exegerit, & ubi invenirentur puniri imperaverit. Cavens ne cui vanis criminibus periculum conflaretur. (4) Idem *lib.* v. *c.* 2. de *Macrino* ſcribit: Delatores & ſervi omnes, quicunque Dominos detulerant, patibulo ſuffixi, totaque urbs & Romanum Imperium ſceleratis hominibus purgatum, partim ſupplicio affectis, partim exilio mulctatis.

IV. Quod autem Calumnia & Calumniatores vel falſi accuſatores multa ac magna mala patrent, teſtimoniis probabimus certis Scriptorum. *Lucianus* calumniam ſic deſcribit: Calumnia, inquit, eſt accuſatio, quæ reo abſente & ignorante facta, & altera tantum parte audita contradicente nemine creditur. *Herodot. lib.* 7. *c.* 10. Calumnia importuniſſima res eſt, in qua duo ſunt, qui injuriam faciunt, unus, cui injuria fit. Qui enim detrahit, injurius eſt, quod non præſentem accuſat: item qui huic credit injurius eſt, quod prius credit, quàm rem compertam habeat: & illi, cui abſenti detrahitur fit injuria, quod ab altero inſimulatur, ut malus ab altero putatur. Exemplo nobis ſunt viri magni, qui à falſis accuſatoribus delati, occiſi fuerunt. De *Boëthio* viro omni eruditionis laude claro legitur quod à calumniatoribus apud Regem *Theodo-*

*ricum*

*ricum* falſo delatus ſupplicium paſſus. *Apelles* depinxit egregiè calumniam, ſed qua occaſione hoc fecerit narrat *Lucianus.* Apelles inſimulabatur conjurationis, quæ in urbe *Tyro* auctore *Theodoto* facta erat: cum tamen nec urbem, nec Auctorem unquam vidiſſet. Sed *Antiphilus Apellis* gratiæ & artis æmulus ita eum calumniabatur & pro certo teſtabatur, ſe vidiſſe *Apellem* cum hoc *Theodoto* crebros agitare ſermones, multaque in aurem inſuſurraſſe. Quæ res ſuſpicionem clandeſtini conſilii manifeſtè arguit. *Ptolomaus* cum aliàs ſatis animi compos eſſet, hac tamen aſſentatione Tyrannica fractus, adeò excanduit, ut ſtatim in *Apellem* vellet animadvertere, nec prius conſiderare, an reus hoc vitio poſſet urbem ad ſeditionem & occultam molitionem adducere & perſuadere. Apelles quoque hanc ſuſpicionem luiſſet capite, niſi quidam ex conjuratis, qui captivi tenebantur, graviter tuliſſet illam calumniam. Libera confeſſione teſtatur *Apellem* innocentiſſimum eſſe, & quicquid delatum eſſet Regi, dolum eſſe *Antiphili* ſincero huic homini inſidiantis. Quare *Ptolomaus* animo collecto hanc mutavit ſententiam, decem talenta donavit *Apelli*, eique *Antiphilum* calumniatorem dedit in ſervitutem. Quidam addunt, Regem Calumniatori manifeſtum quoque doli ac fraudis ſuæ ſignum in fronte exuri juſſiſſe, quod duplici CC. notabatur, deno-

denotatque : CAVE CALVMNIATOREM. Facile igitur plura exempla adducere poſſemus de *Ariſtobulo* & *Alexandro Hyrcani* filiis, de *Demetrio* & *Perſeo Philippi* filiis & aliis, qui falſorum accuſatorum fraudibus necati fuerunt.

V. Quis igitur non concluſionem hanc eliciet, quod hi falſi accuſatores more & lege *Ægyptiorum* morte plectendi eſſent ob rationes ſequentes, (1) Quia optimus quiſque vir res ſuas ſic cupit inſtituere, ut ſui memoriam magna cum laude ad poſteros tranſmittat, *Plato in Epiſt. epiſt.* 2. (2) Sine honeſtæ vitæ laude deinde vir eſſe perfectus nequit. *Idem* 12. *de Leg.* (3) Exiſtimatio præclara ſecundus eſt ventus iis, qui ad Rempubl. & officia honoraria tendunt, *Plutarch.* in *præcept. gerend. Reipubl.* Non mediocriter etiam telum. (4) Ad res gerendas, *Cicer. in libell. de Amicit.* (5) Opus in Republ. eſt mutua civium benevolentia, quæ calumniis & delationibus diſſolvitur, *Ariſtotel. polit.* 6. *c.* 5. Quandoquidem ex mutuis imprecationibus & leviculis calumniis inter cives odia & inimicitiæ graviſſimæ oriuntur, *Plat.* 11. *de leg.* (6) A cæteris maleficis, adhibitis cuſtodibus res familiaris ſervari poteſt : & qui noctu domi manet, nihil mali patitur. At à calumniatorum metu nemo liber vivit, *Demoſthen. in orat. contr. Theocritum.* (7) Vitium hoc facit, ut Magiſtratus falſum cre-

dat

dat & ſequatur ſæpe, *Herodot. lib.* 7. Bonum oriatur judicium de improbis: improbi contra videantur viri boni, *Iſocrat. in orat. de permutat.* (8) Et ut vulnus nullum ita ſolerter curatur, quin cicatrices maneant, nec macula in charta aut veſte ſic ſcalpello tollitur, ut veſtigia quædam non deprehendantur, ita ſemper aliquid hæret. Nec de nihilo eſſe putatur, quod dicitur: Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret. Itaque merito cum *Ariſtotel. lib.* 6. *Polit. c.* 1. capitis pœnam ſtatuimus, & non nudam infamiam, uti *Inſtit.* 4. *tit.* 18. *Digeſt. lib.* 48. *tit.* 16. & *Cod. lib.* 9. *tit.* 46. Laudatur hinc *Alexander Severus*, qui *Thurinum* quendam calumniatorem fumo necari curavit, præcone clamante: FVMO PVNITVR, FVMVM QVI VENDIDIT. *Lamprid.*

VI. Non negamus quidem, quoſdam hanc Ægyptiorum legem ad jus talionis referre, uti *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Tom.* 1. *Syntag.* 11. *fol. m.* 121. ita diſſerens: *Falſò quempiam accuſans, ſi poſtmodum ad Judicium delatus eſſet, TALIONIS pœnam calumniatoribus ſtatutam ſubibat.* Quod cum explicatione noſtra non pugnat, nec Legi adverſatur. Nam qui falſo accuſabat alterum, ut famam illius læderet, & notam inureret, jure talionis puniebatur. Si autem de vita ageretur, ut falſus & calumnioſus accuſator intenderet, ut vita privare vellet, iterum repertâ cauſâ falſâ jus ta-

lionis

lionis exercebatur in illum. *Talio enim eſt juſtitia commutativa, qua damnum alii inferens, eodem, ſeu ſpecificè, ſeu analogicè à Judice vel ad inſtantiam læſi, vel ex officio punitur, ad coercendas injurias, & limites certos humanis affectibus in vindictam pronis ponendos.* Deducitur autem *Talio* à *Tale*, ea ſcil. ſignificatione, quod tale quiſque pati, quale fecerit, & talem reſpicere debeat pœnam, qualem delicto ſuo meritus, à paritate & ſimilitudine delicti & pœna facti admiſſi & retorti. Hinc *Iſidorus* Talionem ita deſcribit: Talio eſt ſimilitudo vindictæ, ut taliter quiſque patiatur, qualiter fecit. Conſentit hîc *Excell. Johan. Andr. Danz. LL. OO. Profeſſor celeberrim.* in *exquiſita ſua diſſertat. Jen. habit. de Jure Talionis ad mentem Gentilium, Judæorum ac Chriſtianorum*, in qua ferè omnia illa, quæ ad hanc requiruntur materiam, reperire licet.

VII. Recte autem in calumnioſos accuſatores jus Talionis exerceri jubet jus naturæ, cujus propoſitio firmiſſima: Nemini inferendam eſſe injuriam; Jam autem falſus accuſator proximo maximam injuriam infert, tum & famam & vitam lædere intendit. Neceſſe igitur erit, ut inter injuriam paſſum & inferentem æqualitas quædam fiat, ad quod, ut alter, quod alteri fecit, idem patiatur, requiritur. Honori & famæ innocentis nequaquam eſt detrahendum, aſt verum candide faten-

dum, neminemque fallendum eſſe jus naturæ poſtulat. Falſiloquium autem prohibet, quia hoc violatur illud; Hinc facile demonſtratur, quod jus alterius non ſit violandum, Ergo nec honori & famæ innocentis eſt detrahendum, uti pluribus egregie demonſtravit B. *Henricus Uffelmann. Præceptor quondam in Alma Helmſtadienſ. fideliſſ. in Tr. de jure, quo homo homini in ſermone obligatur, edit. Helmſt.* 1676. Jam autem detractio, quâ proximi innocentis fama vehementer & malitioſe læditur, graviſſimum & turpiſſimum crimen eſt, quod calumnia vocatur, quæ interdum ad injuſtam & falſam accuſationem refertur, Ergò merito pœna graviſſima dignum. Unde *Thomas q.* LXVIII. *art.* III. ait: *Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur, aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiverſantur. In accuſatione duplici ratione contingit eſſe peccatum: Uno modo ex eo, quod aliquis injuſte agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponendo, quod eſt calumniari. Alio modo ex parte Reipubl. cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione, dum aliquis impedit malitioſe punitionem peccati. Quod iterum dupliciter contingit, unô modô fraudem in accuſatione adhibendo, & hoc pertinet ad prævaricationem. Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo, quod eſt tergiverſari.* Huc uſque *Thomas.*

VIII. Quod turpiſſimum crimen cum id homici-

micidio æquiparetur à doctis, hinc etiam talem pœnam meretur. Audiamus in hanc rem erudite diſſerentem prælaudatum *Uffelmannum pag*. 168. his verbis: Et verò non ſine cauſa obtrectator virulentus appellatur homicida, calumniis enim & improperiis tanquam acutis & alte penetrantibus mucronibus, quâ clam, quâ palam; directè & obliquè innocentes ſauciat; neque quicquam intentatum relinquit, quo vel brevem vel miſeram reddat ipſorum vitam. Quare & eandem merentur pœnam. *Prævaricatores, calumniatores, tergiverſatores è S.C. Turpiliano plectuntur l. 1. ff. ad S. C. Turpil.* Sunt autem calumniatores qui falſa crimina intendunt. Calumniantes ad vindictam expoſcit ſimilitudo ſupplicii, Impp. *Honor.* & *Theodoſ. l. ult. de calumniat.* Prævaricatores, qui vera crimina abſcondunt colludentes cum adverſariis. Tergiverſatores, qui ab accuſatione deſiſtunt, d. l. 1. Pœna conſtituta quinque libr. auri, vel extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur, *l. 3. ff. eo.*

IX. Cum lege hac Ægyptiorum, *Calumnioſi accuſatores ſtatutam falſo à ſe delatis pœnam ſubibant*, optime convenit lex Hebræorum *Deut. cap.* XIX. *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt ante dominum, &c. Cumque diligentiſſime perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium:*

*reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit.* Hic clariſſimis verbis convenientia harum legum perſpicitur; nam à lege divina condemnatur ad pœnam illius delicti, quod delator imputabat ſuo proximo. Audiamus *R. Maimonid. in Tr. de teſtimon. cap.* XVIII. *ſect.* 1. 2. 3. cujus verba Anglice recitavit *Henric. Ainsworth. Comment. in Deut.* XIX. *fol. m.* 78. *edit. Londin. The Hebrewes call the falſe witneſſe* זומם *Zomem, the thinker, or preſumer, and ſay, who ſo witneſſeth falſly, this man is called* עד זומם *the falſe witneſſe; and it is commanded to doe unto him as he would have done by this teſtimony unto his neighbour. If they have teſtified falſly of a tranſgreſſion for which men are guilty of ſtoning to death, they are all to be ſtoned; if of burning, they are to be burnt; and ſo for other deaths. And if they teſtifie of crimes worthy beating, every one of them is to be beaten, &c.* i. e. Hebræi vocant teſtem falſum זומם Zomem falſo & præſumptuoſe excogitantem, & dicunt, qui ita falſum teſtimonium perhibet, vocatur עד זומם falſus teſtis, & mandatur ei reddere, ſicuti fratri ſuo falſo hoc teſtimonio facere cogitavit. Si itaque teſtimonium exhibuerunt de tranſgreſſione quadam, ob quam homo reus lapidationis judicatur, & falſa reperta re omnes lapidantur; ſi combuſtione dignus, omnes comburuntur, & ſic de aliis dicendum.

X. Ut igitur ſciamus quod ſit זוומם brevibus

vibus dicemus. זומם dicitur à זמם quod ſignificat, cogitare, excogitare, ſtudio, datâ operâ aliquid præſumere & animo moliri, ſive ſit bonum ſive malum: ſæpius autem in malum ſumitur Hebr. Et apud *Talmudicos* עד זומם eſt teſtis falſo excogitans, fingens, mendaciterque aſſerens ſcelus in aliquem. Veluti ſi quis dicat, Teſtor quod Ruben Simeonem eo die Venetiis interfecerit. Ruben ſe defendens inquit: At ego probabo, te eo die mihi adfuiſſe Romæ, quomodo ergo Simeonem eo die Venetiis interfecerim? Unde apparet, te in me mentiri & falſum ſcelus excogitare. Si hujuſmodi עד זומם Teſtis mendax de mendacio convincatur, antequam plectatur is contra quem mendax teſtimonium excogitavit, tum ea pœna afficitur, qua pars adverſa affici debuiſſet, juxta illud: Facietis ei כאשר זמם ſicut cogitavit facere fratri ſuo. Ita falſi accuſatores *Suſannæ* ſubjacuerunt ſupplicio lapidationis, quod inique machinabantur in innocentem matronam, *Daniel.* XIII. *Haman* ſuſpenſus eſt è ligno, quod mendacibus impoſturis præparaverat *Mardochæo*, *Eſth.* VII.

XI. Simili modo ex decreto legis Corneliæ, qui falſum deponit contra proximum, & procurat ipſum ad mortem tradere, capitali ſententia plectendus eſt, §. 3. *Inſtit. de publ. Judic.* & ita videri poteſt *l.* 1. §. *ff. ad l. Cornel.*

*de Sicar.* Ita *Honorius* & *Theodoſius l. ult. C. de Calumn.* Quiſquis crimen intendit, non impunitam noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii. Videatur *Conſtantin. L'Empereur in not. ad* בבא קמא *edit. Lugd. Bat.* 1637. *pag.* 152. Ita veteri jure Romano in calumniatores lata erat lex Remnia (cujus etiam *Cicero in pro Roſc. Amer.* meminit) ut qui crimen intenderet, quod probare non poſſet, pœnam ferret illam, quam reus convictus ſuſtinere debuiſſet. Hanc legem ſevere exercuit *Marc. Anton. Philoſoph.* de quo *Capitolinus*. Tria aliàs apud *Romanos* in calumniantes erant pœnarum genera, corporalis, pecuniaria, & infamiæ nota: vid. *tit. de calumniat. Inſtit. de pœn. temere litig.* & *JCti ff. ad SC. Turpilian.*

## LEX QVARTA.

NECESSE ERAT PROFITERI OMNES APVD MAGISTRATVM ET NOMINA SVA ET QVA ARTE VIVERENT. SI QVIS AVT MENTIRI COMPREHENSVS EST, AVT MALIS ARTIBVS QVÆSTVM AGERE, IN MORTIS POENAM INCIDEBAT.

I. Hanc legem expreſſam legimus apud *Herodot. lib.* 2. *in Euterpe circa finem*, qui inquit: *Ama-*

*Amaſis quoque exſtitit, qui legem hanc apud Ægyptios condidit, ut ſingulis annis apud Provinciarum Præſides Ægyptii omnes demonſtrarent, unde quilibet viveret: & qui aut hoc non faceret, aut non demonſtraret ſe legitime vivere, is morte afficeretur. Athanaſius Kircher. in Oedip. Ægyptiac. Syntagm. 2 fol. m.* 121. *edit. Rom.* legem hanc ſequentibus verbis exprimit: Cogebantur Ægyptii omnes ſcripta nomina ſua ad Præſides, & ſimul quo exercitio quiſque viveret, deferre, qua in re, ſi quis mentiretur, aut ſi injuſto viveret quæſtu, in mortis incidebat pœnam. In hac lege ſane nobis ob oculos ponitur idea felicis Reipublicæ, quæ Magiſtratibus præſcribit, quomodo ſe in munere ſuo gerere debeant, ut ſcilicet rationem accuratam civium habeant, ne vel luxuria bona conſumant, vel illicito more quæſtum faciant, unde habeant quod vivant. Optandum igitur eſſet, ut hac in re Chriſtiani Magiſtratus morem hunc imitarentur, tunc forſitan feliciores eſſent in imperio. Accuratius itaque examinabimus hanc legem, & videbimus primo de Auctore & conſtitutore legis hujus, & deinceps ad alia nos accingemus.

II. Quod ad Auctorem hujus legis attinet, vocatur ille *Amaſis*, qui regnaſſe dicitur tempore illo, quo *Jacob* ſæviente fame deſcendit in *Ægyptum* ad filium ſuum *Joſephum*, uti ex *Manethone* apud *Euſebium* recenſet *Athanaſ. Kir-*

*cher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* I. *fol. m.* 93. *cap.* X. *edit. Rom. Eduard. Simſon. in Chronic. Cathol.* A. M. 2247. & *Jacob.* CVII. vixiſſe *Amaſim* ex *Capello* affirmat. Alii autem volunt Amaſim Cyri tempore vitam egiſſe, uti refert Anglus *Eques Johann. Marsham. in Canon. Chron. pag. m.* 432. *edit. Lipſ.* Amaſis, inquit, ut antea, ita poſt *Cyri* tempora regnabat in *Ægypto.* Verum hanc controverſiam dirimere non eſt hujus loci; illud tamen obſervandum quod Rex fuerit, qui hanc laudabilem legem promulgaverit, uti confirmat ex *Herodoto* citatus *Marshamius pag. m.* 633. his verbis: Hic legem tulit, unumquemque Ægyptiorum quotannis apud Nomarcham demonſtrare unde vivat, qui id non fecerit, aut qui juſtam vivendi rationem non demonſtraverit, hunc morte mulctandum. Conferatur huc quoque *Nicolai LLoydii Dictionar. Geograph. pag. m.* 85. *edit. Genev.*

III. Cur autem hanc legem promulgaverit, facile poteſt conjecturari, quia cognitum habebat, quod cives nihil agendo, male agere diſcant, & omnes machinationes excogitent, quæ ad detrimentum Reipubl. tendant. Hinc omnibus Magiſtratibus ideam præſcribit eò ſpectare, ut accuratam civium ſuorum rationem habeant, vitæ genus obſervent, & omnes otioſos vel pravis artibus quæſtum quærentes exſtirpent, ne incommodum Reipublicæ univerſæ

verſæ accreſcat. Hanc legem, ut inculpatam, ad alios tranſlatam populos ex hiſtoriis conſtat. De *Græcis* certiſſimum eſt, quod hanc legem tenaciſſime ſervaverint; ſed quis illius primus Legiſlator fuerit, controvertitur. *Herodot.* dixit, hanc τῆς Ἀεργίας legem de otioſis morte plectendis ex Ægypto à Solone advectam eſſe, & ex illo *Diodor. Sicul. lib.* 1. His ſe opponit *Marshamius* & ex aliis Scriptoribus probat *pag. m.* 640. quod *Solon* non promulgaverit, ſed *Draco*. Nam *Solonem* leges *Athenienſibus* præſcripſiſſe antequam in Ægypto regnaſſet *Amaſis*, aſſerit. Verba itaque ejus huc adducere non pigebit. Draco ſtatuit, mortem otii eſſe pœnam: quamvis nec de pœna iſta ſatis convenit. *Pollux lib.* 8. *c.* VI. *pag.* 386. Τῆς δὲ ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ἀτιμία ἦν τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ Σόλωνος, εἰ τρίς τις ἁλῴη, ἠτιμοῦτο, *Juxta Draconem, otii pœna erat infamia: juxta Solonem, tertio reus otii infamis erat. Lyſias* apud *Diogen. Laërt. Solon.* ἐν τῷ κατὰ Νικίου dicit, *Draconem* legem ſcripſiſſe: Ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔςω παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι, *Otioſi nomen deferre cuivis licet. Solon* itaque non legis auctor fuit; ſed τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἔταξεν ἐπισκοπεῖν ὅθεν ἕκαςος ἔχει τὰ ἐπιτήδεια, καὶ τοὺς ἀργοὺς κολάζειν. *Areopagitis negotium dedit, ut viderent, unde quiſque viveret, & in otioſos animadverterent.* Vid. *Plutarch. Sol. p.* 90. & ibid. *pag.* 96. *Sed & Theophraſtus tradidit, non Solonem, ſed Piſiſtra-*

*tum*, τὸν τῆς ἀργίας νόμον *legem de Otioſis tuliſſe; qua & agrum cultiorem & urbem infrequentiorem redderet.*

IV. In his *Marshamii* verbis monendum eſſe putamus, quod ex *Polluce* probare conatus fuerit, pœnam *à Dracone* latam in otioſos fuiſſe infamiam, quod vix probabile, & lapſus memoriæ videtur, cum is capitale id pronuntiaverit, uti ex *Plutarcho* apparet; Μία γὰρ ὀλίγου δεῖν, ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία· ὥστε καὶ ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν. *Una enim fere cunctis delinquentibus pœna mortis conſtituta: ut & otii convicti capitis ſupplicio afficerentur.* Quod ad *Piſiſtratum* attinet, quem *Theophraſtus* hujus legis auctorem ſtatuit, vix veritati conveniens videtur. Nam quod otioſos ad laborem impulerit, teſtatur *Ælian. lib.* IX. *Var. cap.* XXV. quando ita ſcribit: *Piſiſtratus cum in regnum eſſet evectus accerſi jubebat eos, qui in foro deambulando atque otiando tempus tererent: & interrogavit, num qua cauſa eſſet ipſis in foro mœſto vultu oberrandi, ſimulque dicebat: Si tibi boves aratores mortui ſunt, de meo cape rurſus alios, atque ad labores te confer. Si egenus & inops es ſeminum, de meo dentur tibi: veritus, ne horum otium inſidias aliquas pareret.* Ex his verbis ſatis elucet, cur Piſiſtratus ex otioſis ſtrenuos habere voluerit, quia decimarum avidus hoc ſubſidio plures ſibi parare poterat. Ex his conditionibus Piſiſtratus civibus ſuis boves & ſemina

mina dedit, ut decimas ferret ab agricolis: Et ſimul operibus ruſticis diſtricti, & in diverſa ſparſi, minus virium & otii haberent ad res novandas. Hinc Dio Pruſæus teſtante *Kuhnio in not. ad Ælian.* Piſiſtrato jubente & imperante populus in urbem non venit, ſed ruri agros colebat & Atticam ante nudam & ſine arbore, oleis conſitam fecit, eodem jubente.

V. Alii tamen ſunt, qui aſſerunt, legem hanc *Solonem* ab *Ægyptiis* tranſtuliſſe ad *Athenienſes*, uti ex *Plutarch. Sympoſ.* recenſet *Nicol. LLoydius in Dictionar. Geograph. pag. m.* 85. *edit. Genev.* cui adſtipulatur *Joh. Philipp. Pfeiffer. in antiq. Græc. lib.* 2. *cap.* 67. *edit. Regiomont. pag. m.* 453. Calculum album adjicit clar. *Joh. Meurſius in Themid. Attic. edit. Traject. ad Rhen.* 1685. *lib.* 2. *cap.* XVIII. *pag. m.* 107. Hanc quoque à Solone indictam pœnam tradunt alii & acceptam ab *Amaſide Ægyptio* legem. Hancque ſuam ſententiam confirmat teſtimonio *Herodoti lib.* 2. ex quo hæc lex deſumpta & *Diodori Siculi lib.* 1. quorum Scriptorum verba ipſa audire jam lubet. Νόμον τε Αἰγυπτίοισι τόν δε Ἄμασις ἐστι ὁ καταστήσας, ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων, ὅθεν βιοῦται, μηδὲ ποιεῦντα ταῦτα, μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζώην, ἰθύνεσθαι θανάτῳ. Σόλων δὲ ὁ Ἀθηναῖος, λαβὼν ἐξ Αἰγύπτου τοῦτον τὸν νόμον, Ἀθηναίοισι ἔθετο· τῷ ἐκεῖνοι ἐς αἰεὶ χρέωνται, ἐόντι ἀμώμῳ νόμῳ. i. e. *Legemque hanc*

*qui*

*qui Ægyptiis conſtituit Amaſis eſt; ut demonſtret unuſquiſque annis ſingulis apud Præſidem ejus loci, unde vivat: qui non fecerit, neque vitæ rationem demonſtrare juſtam poſſit, is ut morte puniretur. Solon verò Athenienſis cum hanc legem ex Ægypto accepiſſet, Athenienſibus promulgavit: qua perpetuo illi utuntur, tanquam plane inculpata.* Hæc Herodotus. Teſtimonium *Diodori Siculi lib.* 1. hoc eſt: *Inſuper* (Latina tantum recenſebimus) *injunctum erat Ægyptiis omnibus, ut nomina apud Præfectos profiterentur, indicantes ſimul, quo proventu, & vitæ genere, victum ſibi unuſquiſque compararet: ac mentitus, vel injuſtum agitans quæſtum, mortis pœnam incurrebat. Quam legem Solon, ad Ægypti imitationem, Athenas tranſtuliſſe fertur.* Non ſolùm autem Athenis hæc lex viguit; ſed etiam lex *Sardoa* erat teſte *Æliano lib.* 4. *c.* 1. *Var. pag. m.* 253. *edit. Argentorat.* Apud quos hæc lex fuit: Ἀργίας ἦσαν δίκαι, καὶ τὸ εἰκῆ ζῶντα ἔδει κρίνεσθαι, καὶ διδόναι τὰς εὐθύνας, ἀποδεικνύντα ὅθεν ζῇ: *Pœnas ignaviæ & ſocordiæ conſtituebant: & qui otioſe viveret, eum rationem reddere oportebat, & unde viveret oſtendere.*

VI. Quanti Græci hanc legem æſtimarint, ex ſequentibus patebit. Sanctiſſimo etenim Synedrio Areopagitico concredebatur teſte Iſocrate in Areopagitica ſcribente: Οὕτω γὰρ οἱ πρόγονοι ἡμῶν περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας: Majores enim noſtri tantam modeſtiæ

ſtiæ rationem habuerunt, ut Senatum Areopagiticum cenſuræ morum præfecerint. Clarius hoc exprimit *Valer. Maxim. lib.* II. *cap.* VI. his verbis: *Eſt & ejuſdem Vrbis ſanctiſſimum concilium Areopagus, ubi, quid quiſque ageret, aut quonam quæſtu ſuſtentaretur, diligentiſſime inquiri ſolebat: ut homines honeſtatem, vitæ rationem memores reddendam eſſe, ſequerentur.* Ut autem hoc eò accuratius cognoſceret Areopagus, quoſdam mittebat, qui teſte *Suida* Epiſcopi dicti & ad res ſociorum inſpiciendas mittebantur: qui etiam φύλακες i. e. cuſtodes fuerunt appellati; quos Lacedæmonii ἁρμοστὰς nominarunt. Qui ſi quoſdam viderent, quod prodigaliter & non de ſuis reditibus viverent, accuſabant eos, & hi ab Areopago in judicium vocabantur, uti *Athenæ. lib.* IV. refert: *Quod verò prodigos, quique non ex reditibus ſuis viverent, Areopagitæ in jus vocaverint & punierint, referunt Phanodemus & Philochorus aliique plures.* Exemplum quoque addit de *Demetrio* quodam uno è poſteris *Demetrii Phalerei*, quod in judicium vocatus, quia luxurioſe vitam agebat. Qui autem nulla bona poſſidebant, & tamen honeſtam & lautam vitam agebant iterum vocabantur, ut rationem redderent vitæ, uti *Cleanthes*, *Menedemus* & *Aſclepiades* novi Philoſophi facere coacti fuerunt. Hi enim in judicium vocati, interrogabantur, quî fieri poſſet, cum toto die operam Philoſophiæ navarent,

rent, ac nihil penitus poſſiderent, eorum corpora nihilominus tam benè ſe haberent, ac tam robuſta eſſent? Cæterum ajunt Philoſophos juſſiſſe adduci molitorem quendam, & alium hortulanum, victus ſui optimos teſtes, qui dicerent, uti apud ſe ſingulis noctibus aqua nunc haurienda, nunc volutatione rotæ atque piſtrini, pro opera duas drachmas lucrifacerent. Itaque magnopere admiratos Areopagitas non ſolùm Cleanthen, Menedemum & Aſclepiadem innoxios dimiſiſſe, ſed & ducentarum drachmarum munere donaviſſe. Vid. *P. Ærodii libr.* 2. *decretorum, rerumve apud diverſos populos ab omni antiquitate judicatarum, edit. Francoſ.* 1580. *pag. m.* 177. ad *tit.* 1. de furtis, ubi hæc addit: *Homines ita ab alieno facile abſtinebunt, ſi artis ſuæ & induſtriæ rationem reddant.* Conferatur huc *Johann. Meurſii Areopagus pag.* 69. 70. *edit. Lugd. Batav.* 1624.

VII. Narratur & apud *Corinthios* hunc morem fuiſſe, ut ſi quem cernerent ſplendidius obſonari: hunc interrogarent, unde ille ſumtus ei competeret, quidve ageret: quod ſi huic vitæ generi ſumtus ſuppeterent, frui ſinebant; ſin autem ſumtus facultates excederent, jubebant impoſterum moderatius uti: ni pareret, mulctam imponebant, quod ſi nihil cum haberet, attamen ita ſplendide & opipare viveret, necandum carnifici tribuebant.

De

De his *Diphilus* apud *Athen. lib.* VI. *Eraſmo* interprete:

*Hoc lege cautum eſt hîc apud Corinthios*
*Si quempiam opſonare ſemper ſplendidè*
*Videmus, hunc rogamus, unde vivat? &*
*Quid faciat operis? Si facultates habet,*
*Ut reditus ſolvere harum expenſas queat,*
*Perpetimur illum frui bonis ſuis.*
*Sin forte ſumtus ſuperat ea, quæ poſſidet,*
*Prohibemus huic ne faciat hoc in poſterum.*
*Ni pareat, jam plectitur mulcta gravi*
*Si ſumtuoſe vivit is, qui nihil habet,*
*Tradunt eum tortoribus, Proh Hercules.*

Quam eſſet optandum, ut inter Chriſtianos hujuſmodi inſtitutum conſuetudoque vigeret, multò profectò meliore felicioreque in loco res publicæ atque privatæ eſſent, nec tot calamitatibus atque naufragiis obnoxiæ.

VIII. Non ſolùm autem Juventuti præfectos dabant *Athenienſes*, qui nimirum morum rationem haberent, uti *Æſchines Philoſoph.* in *Axiocho;* ſed etiam viris, ſenibus & omnis denique ordinis hominibus. Hoc eſt illud quod *Valerius Maximus* antea dixit. Idem innuit *Joannes Salisberienſ. Polycrat. lib.* I. *c.* 3. Inſignis quoque locus *Iſocratis in Areopagitic.* quem huc adſcribere Latinis verbis non pigebit: *Hæc*, inquit, (Areopagitæ) *cogitantes, non ſpectabant, quî immodeſtos punirent, ſed quâ ratione cives adduci poſſent, ut ne quid vellent pœnâ dignum admittere.*

*mittere. Hoc enim ad ſe pertinere exiſtimabant; ſuppliciis infligendis invigilare, hoſtium eſſe. Curabant igitur cum omnes cives, tum verò adoleſcentes inprimis. Videbant enim, eam ætatem turbulentiſſimis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus: maximeque neceſſarium eſſe, ita illam inſtitui, ut honeſtis ſtudiis, & temperatis voluptate laboribus gauderet. Eos enim, qui liberaliter educati, & magnitudini animorum aſſuefacti eſſent, in ſolis illis rebus perſeveraturos. Univerſis porrò eaſdem Exercitationes præſcribere, in tanta rei familiaris inæqualitate, non potuerunt: ſed ut ſingulorum facultates ferebant, ita ſingulis præcipiebant. Nam tenuiores ad agriculturam & negotiationes deducebant: non ignari, & inopiæ cauſam eſſe pigritiam, & ad facinus inopiâ pleroſque impelli. Quare fonte malorum ſublato, etiam cætera delicta, quæ inde velut ebullirent, cenſebant poſſe præcaveri. Locupletes autem, animum ad rem equeſtrem, ad gymnaſia, ad venationes & philoſophiam adjungere cogebant. Hoc enim eam vim habere perſpiciebant, ut alii virtutibus excellerent; alii flagitiis plurimis abſtinerent. Neque contenti ſolas leges tuliſſe, de cætero negligentes erant; ſed civitate in vicos, agro in populos diſtributo, uniuſcujuſque vitam ſpectabant, & immodeſtos in Senatum ducebant: iſque alios monebat, aliis minitabatur, alios, ut par erat, puniebat.*

IX. Quod igitur hodiè in Rebuſpubl. tot tantaque crimina committantur cauſa eſt hujus

jus legis abrogatio, quia fere nullus eò reſpicit Magiſtratus, quales ſubditos habeat, quo vitæ genere vivant; ſed ſæpe otioſi & quæſtum facientes magni æſtimantur. Hinc furta, & lenocinia, aliaque crimina peſſima oriuntur, quæ Rempublicam evertunt. Cum otium itaque ſit cauſa omnis mali; merito hodiè Magiſtratus in otioſos inquirere deberet, ipſosque interrogare qua arte vitam agerent. Exſecrandum & intolerabile illud genus hominum eſt, quod nulli ſubjectum Magiſtratui, hinc inde illicitis artibus quæſtum facit, aut Diaboli ſuggeſtionibus imperitum, ſuperſtitioſum & impium vulgus decipit; nam qui nil bene agit, illum neque utilem ad quicquam eſſe.

X. Non ſolùm autem otium morte puniebatur, ſed etiam qui injuſtum quæſtum faciebat, in hunc etiam pœna conſtituta erat. Injuſtum quæſtum faciunt Luſores, vel ludicram artem exercentes. Vid. *Lexic. juridic. ex Briſſonio aliiſque collectum, pag. m.* 835. Confer. *Meurſ. in Themid. Attic. lib.* 2. *c.* VI. *& cap.* XX. Sed de hac lege hæc ſufficiant. Plura tamen qui legere cupit de iis, qui quæſtus cauſa ludicra exercent & illorum pœnis, evolvat *Petri Fabri Semeſtr. lib.* 2. *pag. m.* 161. *ſeqq.* ubi plurima lectu digna reperiet.

## LEX QVINTA.

## QVI MORTEM INTVLIT VEL SERVO SPONTE, MORTE LVEBAT HOMICIDIVM. SCELERA ENIM CONSILIO FACTORVM NON CONDITIONE HOMINVM ÆSTIMANDA CREDEBANT.

Vid. *leges & conſuetud. Franciſc. Robortell. lib.* XV. *edit. Bonon. Diodor. Sicul. lib.* 1. *c.* 77.

I. Hæc Ægyptiorum lex optime convenit cum Hebræorum lege *Exod. cap.* XXI. 20. Qui percuſſerit ſervum ſuum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit, reus homicidii, ut explicat Cornel. à Lapid. ac conſequenter pœnæ mortis. Ita etiam hanc legem expoſitam volunt Rabbini, uti Cl. *Hottinger. lib. de Jure Hebr. leg.* XLVII. *pag. m.* 60. *ex Maimonide* recenſet: *Quod jubeamur*, inquit, *occidere tranſgreſſores quorundam præceptorum legis, gladio. Atque hoc ſupplicium vocatur à Rabbinis noſtris occiſio, qua mors facilis eſt. Unus autem eorum, qui hoc ſupplicio tollendi ſunt, eſt qui ſervum ſuum percuſſerit, etſi Cananæus fuerit, ſi ſub manu ejus moriatur, ſicut dicitur; Vindicando vindicator, Exod.* XXI. i. e. *occidatur occiſione gladii.* Vid. *Baba Kam. Maim. Hil. Sanhedr. c.* 14. *Ratio hujus præcepti eſt, quod ita Deus Benedictus de medio populi ſui ſancti eradicare voluerit malitiam cordis & magnam illam crudelitatem. Mandavit propterea, ut omnis,*

*quem*

*quem forte iracundia efferveſcens ita vicerit, ut lethali ictu ſervum ſuum, quem domi ſuæ alit, percutiat, neque ſit, qui eum liberet, occidatur.* Similiter *Maimonid. in juribus homicidii cap.* 2. aſſerit: Qui percuſſerit ſervum ſuum cultro, gladio, lapide, aut pugno, vel alio modo, ut lethale vulnus ei impegiſſe æſtimetur, is, licet ſervus poſt annum demum mortuus fuerit, tanquam homicida occidendus eſt. Confer. *Henric. Ainsworthii comment. in Exod.* XXI. *fol. m.* 83. *edit. Londin.* qui eadem confirmat. Promulgabat hanc legem Deus non ſine ratione, quia intolerabilis coram oculis Dei & hominum eſt illa crudelitas, quam interdum exercent Domini erga pauperes ſervos, nihil conſiderando, quod ſint homines, in hoc æquales Dominis, qui eos tractant inſtar canum, impiè percutiunt, & ex Dominis mutati in carnifices violenter occidunt.

II. Et licet Hebræi diſtinctionem quandam inter ſervum Hebræum & Cananæum fingere velint, quod de priori hæc lex ſit intelligenda, non poſteriori. Verum non videmus, quid impediat, quominus hæc verba legis de ſervis in genere intelligantur: qui quidem in aliis rebus pares non ſunt, in hoc tamen quod ſint homines; imò *Maimonides* in verbis præcedentibus nullum diſcrimen inter ipſos agnoſcat; quare neceſſe eſt, ut ille, qui occidat ſervum, homicida ſit, & ſic quoque

 pœ-

pœnæ reus. Agnovit hoc Jobus, qui beniɡniſſimum ſe erga ſervos ſuos exhibebat, conſiderans, omnibus hominibus eandem eſſe originem & unam naturam, ita ut dives æque ac pauper, Princeps ac ſervus ex eodem luto formentur: vid. *Job. cap.* XXXI. 15. *Act.* X. 26. XIV. 14. Huic adſtipulantur ſaniores Gentiles. *Macrobius lib.* I. *Saturnal. cap.* II. An fortè, inquit, ſervos in hominum numero eſſe non pateris? unde in ſervos tantum & tam immane faſtidium, quaſi non ex iiſdem tibi & conſtent & alantur alimentis, eundemque ſpiritum ab eodem principio carpant? Vis tu cogitare eos, quos jus tuum vocas, iiſdem ſeminibus ortos, eodem frui cœlo, æquè vivere, æquè mori? Servi ſunt, imo conſervi. Similes conceptus expreſſit *Seneca epiſt.* 47. Libenter ex his, qui ad te veniunt, cognovi, familiariter te cum ſervis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet, ſervi ſunt? imò homines. Servi ſunt? imò contubernales. Servi ſunt? imo humiles amici. Servi ſunt? imò conſervi. Et paulò poſt; Vis tu cogitare iſtum, quem ſervum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cælo, æque ſpirare, æque vivere, æque mori.

III. Hoc conſiderantes *Ægyptii* legem promulgarunt hanc, teſte *Diodoro Siculo lib.* I. *c.* LVII. Qui ſponte liberum hominem aut etiam ſervum necaſſet, ei leges apud Ægyptios capitis

pitis ſupplicium irrogabant; utpote quæ non fortunæ conditione, ſed factorum conſiliis à ſceleribus inhiberi cunctos vellent, & hac erga ſervos cura homines condocefacerent, ingenuos multo minus injuriis afficiendos. Hîc ſane ſervi inter homines referuntur, ſecus ac leges civiles volunt, quæ ſervum quatrupedi comparatum jubent, cum quo liberum eſſet agere, quod velimus, *l.* 1. §. *igitur D. hic. Arg. l.* 21. *Cod. Mandat.* Ita etiam *Grotius de jure belli & pacis lib.* 3. *cap.* VII. *pag. m.* 491. diſſerit: Nulla perpeſſio eſt, quæ non illis imponatur, &c. & paucis interjectis lineis dicit: Apud omnes fere gentes (ait Cajus l. 1. D. de his qui ſui ſunt juris) animadvertere poſſumus, Dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe, & *Florus cap.* 20. *l.* 3. referente *Doctiſ. Gronovio*, ſervos in omnia obnoxios dicit. Hinc atrociſſimæ pœnæ, inprimis ſupplicium mortis, imponebantur, uti pluribus oſtendunt *Faber in Semeſtr. lib.* 2. *& Lexici auctor ex Briſſonio aliiſque collecti, pag. m.* 930.

IV. Hoc jure quidem olim Romani in ſervos uſi ſunt, qui ſæpè ob leviſſimas čauſas, de quo videas *Tacit.* XIV. *Annal & Lipſ.* 2. *Saturnal. tum Dion. Caſſ. hiſtor. lib.* 54. qui referunt *Vedium Pollionem* civem Romanum murenas in piſcinis habuiſſe, eaſque ſervorum carne aluiſſe, imò puerum caſu vas criſtallinum frangentem ei ſupplicio addixiſſe. Ex

quo ſponte fluit, damnandam & damnatam eſſe Romanorum, quibus nulla omninò inter ſervos & quatrupedes differentia, (auctore *Cajo in l. 2. ff.* ad *L. Aquil.*) inhumanam in ſervos ſævitiam, coercendamque eſſe omnium, qui alios in poteſtate habent, violentiam. Vid. *Conrad. Friedlieb. JCt. Diatrib. jur. univerſ. de honeſtat. & modeſt. edit. Hamburg.* 1679. *pag. m.* 82. Nec firmo ſtat talo *Hugon. Grotii* ſententia, qui ex *Cujacio* probare vult, jure gentium ferè omnium hanc legem introductam eſſe, quod veritati non convenit. Ut enim patria poteſtas rigida dicitur Juris civilis, quod nullæ gentes talem per omnia in liberos habeant poteſtatem, qualem habent *cives Romani*: Ita Dominica erit Romanorum propria, quod nulli populi tale per omnia in ſervos jus exerceant, quale *Romani* in ſua mancipia. Conferantur hiſtoriæ nationum & manifeſtum erit, non adeò duram apud eas conditionem fuiſſe ſervorum, aut ſi in nonnullis cum Romana duritie ſit conferenda, id accidit propterea, quod ab iis nonnulla ſervorum jura hauſerint, eaque in civitatem receperint. Vid. *Athen. Deipnoſ. lib.* VI. *c.* VII. Nec fidem adhibemus *Triboniano* aſſerenti apud omnes plerumque Gentes Dominis in ſervos vitæ necisque fuiſſe poteſtatem.

V. Certum etenim eſt apud Iſraelitas, populum moratiorem, poteſtatem Dominicam fuiſ-

ſe

ſe temperatiorem. *Exod.* XXI. 20. nequicquam obſtante loco *Gen.* XVI. 6. perperam à *Pacio* in notis allegato. Ubi ne gry quidem de vitæ neciſque in mancipia poteſtate, verum de expellenda ancilla è familia, cujus malos mores ferre non poterat Sarai mater-familias. Quinimo nulla ratio naturalis, nulla ſuperveniens ratiocinatio, nulla humana neceſſitas Dominis vitæ neciſque jus in ſervos conceſſit, ut hunc effectum juris gentium non eſſe facile liceat animadvertere. Neque enim quod crudelitas hujus aut illius populi introduxit pravo more, conſuetudine prava, ſtatim Juris Gentium eſſe cenſebitur, *Arg. l.* 39. *D. de Legibus.* Ita enim vix quicquam adeò nefarium excogitari poſſet, quin Juri Gentium adſcriberetur: cum grandia vitia, etiam ſcelera multa foverint nonnullæ Gentes, quæ omnia velamento Juris Gentium excuſari poſſent. Vid. *Paul. ad Rom.* 1. *Cæſar. de Bell. Gall. Tacit. de morib. German. Thucydid. de Græc. popul. ubi illorum mores deſcribuntur. Althuſ. dicæol. l.* 1. *c.* 27.

VI. Sunt tamen aliqui, qui probare conantur jus vitæ neciſque in ſervos ex *Levitic. c.* XXVII. 28, 29. *Omne devotum, quod devovebitur* מן האדם *ex hominibus, non redimetur, morte afficietur.* Hanc legem quidam ita intelligunt, quaſi eâ permittatur & concedatur jus non ſolùm in pecudes & jumenta, ſed & homines devovere, & ita devotos, interne-

 cioni

cioni dare & occidere; nempe eos, qui alicujus juri & poteſtati ſunt ſubjecti, veluti ſunt *Servi* & *Ancillæ*. Eliciunt hoc ex eo, quod *verſ.* 29. dicatur: Omne devotum quod devotum fuerit מן האדם, quod illi reddunt *ex hominibus*, *non redimetur*, *morte afficietur*. Rationem hujus juris reddunt hanc, ut ſervi tanto magis in officio erga Dominos contineantur debita obedientia & veneratione; cum videlicet audirent, tantam vitæ & necis ipſos habere poteſtatem, ut ſi ipſis luberet, ab uno oris ipſorum verbulo, vita & mors ipſorum dependeret. Verum alii tum ex *Chriſtianis*, tum ex *Hebræis*, aliter verba hujus legis exponunt, & verba illa מן האדם non ex homine, ſed ab homine reddunt, ut referatur ad devoventem & rem devotam ſeu ſubjectum patiens, præſupponendo, id tale eſſe debere, quod jure internecioni devoveri liceat ac debeat. Sic *Vulgat*. Ita plures alii. Hebræi etiam diverſimode explicant, quamvis unanimiter hominis devotionem excipiant, per quam ſc. morti, nullo ſuo merito, addiceretur & afficiendus ſit. R. *Salomon* exponit de eo, qui ad mortem à Judice condemnatus, ad ſupplicium educitur, ne ille à quoquam, oblato λύτρῳ, redimatur, ſed morte deſtinata afficiatur. Sic alii de quovis ſupplicium capitale promerito ſecundum legem. Ad tale quid reſpexiſſe videtur Interpres *Arabs*, qui ver-

ſum

ſum 29. ita reddit; *Et omnis perditus, qui meretur interire ex hominibus, ne redimatur, ſed occiſione occidatur.*

VII. Rabbi *Moſes Nachmanides*, *R. Bechai*, *R. Levi Ben Gerſon*, *R. Iſaac Abarbanel* eximii ſcriptores, propius videntur ſcopum attigiſſe. Illorum ſententia huc redit, *Duo eſſe* & *Cherem* ſeu Anathematis Deo devoti genera; Unum, quod Deo ceu donum ſacrum abſolutè devovebatur, ita ut nec vendi, nec redimi, nec ulla ratione ad Dominum redire poſſet. Tale Anathema conſtabat ex *Perſonis*, vel ex *rebus*, devoventis poteſtati & juri ſubjectis. Perſonæ, veluti erant *Servi* & *Ancillæ*, pretio ab illis empti ex populis Cananæis. Hi tradebantur Sacerdotibus, qui ad uſus ſuos illis utebantur, veluti ad cædenda ligna, hauriendam aquam & ſimilia miniſteria. Res, veluti pecudes & jumenta; Agri item & fundi, qui Deo conſecrabantur, & Sacerdotum & Levitarum bonis accedebant ad conſervationem Templi, Altaris & aliarum rerum ſacrarum, ad ſuſtentationem ipſorum commodiorem, & omnium eorum qui Deo in Eccleſia vel Scholis ſerviebant, in uſum pauperum, redemptionem captivorum,&c. Horum uſus & diſpenſatio ad ſolos Sacerdotes pertinebat, & omnibus aliis interdictus erat: quia ſunt קדש קדשים Sanctitas Sanctitatum Domini: inferenda in theſaurum Jehovæ, *Joſ.* VI. 19.

Hinc vocamus חרם Anathema, quia res amiſſæ & perditæ erant Dominis ſuis, & omnibus aliis, præterquam Sacerdotibus, quibus ſolis conſecrata erant. Unde Deus ad *Aaronem* dicit; כל חרם omnis res per Cherem conſecrata in Iſrael, tua erit, *Num.* XVIII. 14. Et de hac Anathematis ſpecie volunt aliqui verſum 18. loqui. Altera ℥ Cherem ſpecies fuit de Hominibus, Animantibus item & pecudibus, vel ex mandato ſpeciali Dei, vel ex voto, vel ex Regis aut Synedrii ſententia, perdendis, exſcindendis & internecioni dandis. Per homines autem intelligendi non ſunt *Servi* & *Ancillæ*; ſed hoſtes tum Dei, tum populi. Vid. *Deut.* VII. 2. *Num.* XXI. 2. *Joſ.* VI. 17. 21. 1. *Sam.* XV. 3. & de hac voti ſpecie volunt agere *verſ.* 29. Atque hæc ipſorum ſententia nobis quoque videtur veriſſima, neque ulterius lex illa *verſ.* 29. extendenda vel ad *Servos* vel *Ancillas.* Nam ex hac devovendi immolandive libertate magna invecta fuiſſet licentia, multiſque modis imminuta Interdicti de homicidio amplitudo, nec ulla liberorum & ſervorum vitam innocentia tueri potuiſſet, adeoque ultroneum homicidium permiſſum.

VIII. Firmo igitur ſtat talo, aſſerere, quod Domini non habuerint jus vitæ & necis in ſervos, licet diſtinctione aliqua decidere rem velit B. *Oſiander in annot. ad Hug. Grot. libr. pag. m.* 793. 794. inquiens: Quod concernit jus vitæ

vitæ & necis Dominorum in ſervos, id ipſum dupliciter intelligi poteſt, aut ſuppoſita Republica & ordine civitatis vigentibuſque judiciis, aut præſcindendo à tali ſtatu. Priori modo jus vitæ & necis Domini non habent in ſervos: Poſteriori autem modo non videtur abſurdum dicere, Dominos habere jus vitæ ac necis in ſervos, adeò ut ſi v. g. Dominus eſſet in Inſula & in familia ſua aleret ſervos, poſſet occidere vel per ſe, vel per alios. Verum negamus hoc partim ex Scriptura, partim aliis rationibus. Conſtat enim *Geneſ.* XVI. 6. quod Abraham familiam numeroſam alens Hagarem ancillam immorigeram non occiderit, ſed expulerit, quod tamen, hâc hypotheſi poſitâ, facere potuiſſet, cum recta ratio ipſi dictaret, neminem lædendum vel occidendum propria auctoritate. Vir bonus ad injuriam vindicandam non eſt proclivis. Cogitat enim (1) Homines malos ignorantia boni & mali laborare, caligantibus itaque æquior eſt. (2) Nos ejuſdem ſanguinis eſſe participes, ut *Lactant. lib.* VI. *Inſtit. c.* X. teſtatur. (3) Eadem anima ceu portiuncula divina præditos. (4) Neminem niſi à ſe ipſo lædi, de qua re vide *Max. Tyrium ingenioſe diſſerentem Diſſ.* 2. (5) Homines ad mutuas operas natos eſſe, *Senec. l.* 1. *c.* 8. *de Ira.* Hinc rigidiſſima hæc Dominorum in ſervos poteſtas omni Juri adverſatur. Repugnat *communi na-*

*turæ*

*turæ legi*, & *Juri divino*. Communi naturæ legi, dicimus, adverſatur, quod inter homines natura aliqualem fecerit ſocietatem, nec aliter velit, quam hominem ab homine beneficio affici, *l.* 3. *D. de juſt. & jur.* Conf. *Macrob. lib.* 1. *Saturn. cap.* 2. Si cogitaveris tantundem in utroſque licere fortunæ, tam tu illum liberum videre potes, quam ille te ſervum. Adverſabatur etiam divinis præceptis, quæ nos in ſervos æquos eſſe jubent, abutique vetant poteſtate nobis de jure tributa, *Exod.* XXI. 26. *Levit.* XXV. 39. *Deut.* XV. 12. 2. *Reg.* VI. 22. *Epheſ. ult. v.* 6. *Coloſſ.* IV. 1. 1. *Petr.* 2. 18.

IX. Si nunc neque Domini neque alii privati homines jus vitæ ac necis in Servos habuerint, lex *Ægyptiorum* firma & immota manet, jubens, quod *omnis qui ſervum occiderit, morte afficiendus ſit*, quia æque eſt homicidium, quod omni jure prohibetur. Cum autem duplex ſit homicidium, voluntarium & involuntarium; ita etiam pœnæ variant. In noſtra hac lege agitur de homicidio ſervorum ſponte peracto, quod pœna capitis plectendum, nullo reſpectu habito ad perſonas, uti exſtat in Ægyptiorum lege: *Scelera enim conſilio factorum non conditione hominum æſtimanda credebant*. Quibus verbis ſignificare voluerunt, nullam exceptionem hîc eſſe fingendam; an homicidium perpetratum ſit in perſona libera, vel etiam ſervo? morte dignum judicabant.

Ita

Ita ſtatuunt quoque leges divinæ. Nam *Levit.* XXIV. 22. expreſſa lex exſtat: *Æquum judicium* (in homicidio) *ſit inter vos, ſive peregrinus ſive civis peccaverit.* & verſ. 21. *qui percuſſerit hominem, punietur.* Anglus *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 151. *edit. Londin.* exponit: *that one manner of law, and punishment shall be.* & verſ. 21. *Smiteth a man, that is killeth him as verſ.* 17. *Shall dye, shall be put to death or shall be put to dye the death. And. Targ. Jonath. Shall be killed with the ſword.* Hic nullus excipitur ſive pauper, ſive dives, ſive liber, ſive ſervus fuerit, qui hoc crimen commiſerit.

X. Decretis Moſaicis reſpondent profana. Marcianus *ff. ad l. Corn. de Sicar. l.* 1. §. 1. Qui hominem occiderit, punitur, non habita differentia cujus conditionis hominem interemerit. Vid. D. *Carpzov. Criminal. p.* 1. *q.* 2. *fol. m.* 9. *ſeqq.* Quod voluntarius homicida pœna capitali plecti debeat, omnibus legibus & decretis Principum comprobatum & in praxim deductum eſt. Imò ipſemet etiam infernus videtur huic ſententiæ ſubſcripſiſſe, quando Oraculum Apollinis Delphici, ut refert *Ælian. l.* 3. *Var. Hiſt. c.* XLIII. Legatis *Sybaritarum*, qui in templo occiderant innocentem quendam Citharœdum reſpondit:

*Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens,*

*Di-*

*Diſtillanſque recens, prohibet tibi limina templi.*
*Non tibi fata canam, magnæ Junonis ad aram*
*Muſarum innocuum ſtraviſti cæde miniſtrum.*
*Non immortales hoc Dii patientur inultum.*
*Si quis enim prudens ſcelerata è mente profe-*
*ctum*
*Committat facinus, gravis hunc prope pœna ſe-*
*quetur.*
*Non exorabit, neque ſi genus ab Jove ſummo*
*Duceret: ipſe ſuo collo, colliſque nepotum,*
*Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.*

Conſentiunt leges ab Imperatoribus latæ *Inſtit. lib.* 1. *tit.* 8. De his qui ſui vel alieni juris ſunt, §. 2. *Qui ſine cauſa:* qui proprium ſervum ſine cauſa, & quidem dolo malo occidit, perinde tenetur, ac ſi alienum dolo malo occidiſſet. Conferatur huc celeb. *Paul. Voet. Comment. in h. l. pag. m.* 148. 149. ubi tam ex civilibus, quàm *Moſaicis* legibus rem deciſam reperiet Lector. Imò volunt Hebræi, non licere Magiſtratui λύτρον accipere, ſed ex rigore homicidium punire. Vid. *Maimon. de homicid.* Ratio hujus redditur in *Sepher hachinnuch. Si liceret Dominis terreſtribus* λύτρον *accipere ab homicida, quilibet potentia vel opibus valens proximum, contra quem ira excanduit, occideret, & pretium ejus ſolveret; ſicque homicidia forent frequentiſſima & mundus deſolaretur.* Ad hanc pœnam etiam referunt illos, qui homicidium non ſuis manibus quidem, ſed per alios ſuborna-

ornatos & conductos, commiſerunt. Vid. *Maim. c. 2. §. 2.*

## LEX SEXTA.

## AT CÆDES LIBERORVM PARENTIBVS NON ERAT CAPITALIS. SED IN CÆSI CADAVERIS COMPLEXV TRES DIES NOCTESQVE, ADHIBITA CVSTODIA, DETINEBANTVR. EOS ENIM VITA PRIVARI NATORVM CAVSA, QVI DEDISSENT VITAM, NON SATIS ÆQVVM VIDEBATVR, SED DOLORE POTIVS AFFLIGI ET POENITENTIA.

I. Hæc lex Ægyptiorum apud *Diodorum Siculum lib. 1. c. 77.* reperitur, quam integram exhibere jucundum erit: Κατὰ τῶν γονέων τῶν ἀποκτεινάντων τὰ τέκνα θάνατον μὲν οὐχ ὥρισαν, ἡμέρας δὲ τρεῖς καὶ νύκτας ἴσας συνεχῶς ἦν ἀναγκαῖον, περιειληφότας τὸν νεκρὸν, ὑπομένειν φυλακῆς παρεδρευούσης δημοσίας: *Parentes, qui liberos occidiſſent, capite plecti noluerunt, ſed hi triduo continuo in complexu defuncti ſub publica cuſtodia permanere cogebantur.* Rationem hujus juris addit non abſurdam ita differens: Οὐ γὰρ δίκαιον ὑπελήφθη τὸ τοῦ βίου στερίσκειν τοὺς τὸν βίον τοῖς παισὶ δεδωκότας, νουθετῆσαι δὲ μᾶλλον λύπην ἐχούσῃ καὶ μεταμελείᾳ ἀποτρέπειν τῶν τοιού-

των

των ἐγχειρημάτων. i. e. *Nam injuſtum putarunt vitam iis adimere, qui vita liberorum fuiſſent auctores, ſed triſti admonitione ac pœnitentia dehortari maluerunt ab ejuſmodi conatibus.* Magna apud omnes populos parentum poteſtas fuit, ut liberi reverentiam erga parentes haberent & timorem; interim tamen à plurimis poteſtas illa non ita rigide peracta fuit, ut jus vitæ neciſque exercuerint, quod tamen apud Romanos & Græcos olim in uſu fuit.

II. Hebræum populum conſiderantes, quærimus, an Parentes jus vitæ & necis habuerint in liberos? Ad quam quæſtionem reſpondemus negando. Licet enim apud quaſdam Gentes receptum fuerit hoc jus in liberos exercere; attamen Lege divina nuſpiam ipſis conceſſum legimus, ſed potius ademtum, quæ jubet filium caſtigare, non occidere, nec vult quenquam occidi, niſi cognita prius per Judices & Magiſtratum cauſa, & ſententia condemnationis lata. Ergo jure Hebræorum rigida illa patria poteſtas non obtinuit, ſic ut parens in filium jus vitæ neciſque (contra quam inſulſe ſtatuit *Bodin.*) non habuerit. Jubet enim lex divina, ut parens filium declinantem & rebellem ad judicem adducat, ut ſibi id non licere ſciat, quod ad officium ſpectabat Magiſtratus, *Deut.* XXI. *v.* 18. *Ameſ. caſ. conſc. lib.* 5. *c.* 26. Id quod illo *Salomonis Prov.* XXI. confirmatur, ubi expreſſe prohibitum, ne ultra

diſci-

diſciplinam & caſtigationem pater procedat. Conf. G. *Donaldſon. Scoto-Britanni Abredonenſ. JCt. Synopſ. Oeconom. edit. Pariſ. pag.* 352. Nec quicquam obſtant exempla *Abrahami*, filium Deo offerre volentis, vel *Jephthæ Gileaditæ*, filiam devoventis. Quin illud erat peculiari Dei juſſu incœptum, hoc facti, non juris, adeoque in exemplum non trahendum. *Acacius Enenck. Baro. de privil. Parent. & liber. l.* 1. *c.* 1. *n.* 4. 5. *Arumnæ. diſcurſ. publ. part.* 1. *diſcurſ. fin. th.* 4. Uno tantum in caſu parens filium impune poterat occidere, ſcil. ſi fuiſſet Idololatra, quod illa gens admodum prona eſſet in Idololatriam. Hinc jure Hebræorum, Pater filium ex propoſito occidens, eâdem pœnâ tenetur, quâ alius homicida, uti docet *Maimonid.* הלכות רוצח *cap.* 1. §. 1. his verbis: *Si pater filium occiderit, qui habet quoque filium, tunc huic filio competit jus vindicis ſanguinis, ut poſſit Avum ſuum occidere, ſi non habeat filium, jus illud fratrum nullus habet, ſed Domus Judicii, ſeu Magiſtratus morte eum afficit.*

III. Et licet apud Græcos *Solon* parentibus jus vitæ ac necis in liberos dederit, ut metu pœnæ honorare diſcerent parentes; attamen vix rectæ rationi conveniens, nam quomodo is iterum id deſtruere tendet, ad quod primario intendit, & prima inter Græcos à Triptolemo data lex ſit: *Animalia non lædere.* Si igitur animalia non ſunt lædenda, multo mi-

nus liberi. Objiciunt & dicunt, quod ob pravitatem naturæ hæc lex à Solone introducta, cum alias liberos ad obedientiam cogere non potuiſſent; & hinc teſte *Sexto Empirico Pyrrh. Hypolyp. lib.* III. *c.* XXIV. natam legem: Καὶ ὁ Σόλων Ἀθηναῖος τὸν περὶ τῶν ἀκρίτων νόμον ἔθετο, καθ' ὃν φονεύειν ἑκάστῳ τὸν ἑαυτοῦ παῖδα ἐπέτρεψε. *Quin etiam Solon Athenienſis legem de indemnatis poſuit, per quam unicuique filium ſuum interficere permiſit.* Hermogenes, de invent. lib. I. c. I. Ἐνώπιόν τις τῆς μητρὸς ἀπέκτεινε τὸν υἱὸν, κατὰ τὸν τῶν ἀκρίτων νόμον: *Occidit quis filium* coram *matre, juxta legem de indemnatis.* Curius Fortunatianus Rhet. lib. I. Lege quemadmodum ſit abſoluta qualitas? Indemnatos liberos liceat occidere. Tres filios lege indemnatorum occidit: reus eſt uxori male tractationis. Hic enim ſe dicit lege feciſſe. Ac de matre quoque eſt locus Sopatri in diviſ. Quæſt. Ἐξεῖναι καὶ μητράσιν ἀκρίτους ἀναιρεῖν τοὺς παῖδας. *Licere etiam matribus liberos indemnatos occidere.* Ita quoque Romani parentes olim jus abſolutum habebant, liberos verberandi, coercendi, ruſticis in operibus habendi, tractandi crudeliter, vendendi, exponendi ubivis locorum ac denique occidendi.

IV. Unde quis concludere poſſet, eundem etiam morem Ægyptios habuiſſe, cum extaret in lege noſtra: *at cædes liberorum parentibus non erat capitalis.* Sed quare? non aliam ob cauſam, quàm ex patria poteſtate hoc factum

aſſe-

aſſerit *Petr. Gregor. Tholoſan. in prælud. optim. Juriſconſult. lib.* v. *c.* 7. *pag. m.* 540. *edit. Lugd.* 1583. ita diſſerens: Hæc autem poteſtas magna erat jure Romanorum & tanta, ut filium pater pro jure ſuo occidere poſſet. Item *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 2. *Antiquit. Rom.* omne jus & vitæ & necis Legislatores antiquos parentibus conceſſiſſe in liberos ſcribit. Sic apud Ægyptios nulla pœna patribus filios occidentibus conſtituta erat alia, quàm quod tribus diebus ac noctibus circa cadaver interempti aſſiſterent: nec juſtum putabant ob interfectum filium vita privari eum, qui ejus vitæ auctor fuiſſet, ſed dolore & pœnitentia facti affligendum. Hanc ſufficientem pœnam putabant; nam ut ait *Euripides in Supplicib. act.* 5. *verſ.* 128. Τί γὰρ ἂν μεῖζον, τοῦ δ' ἔτι θνατοῖς πάθος ἐξεύροις, ἢ τέκνα θανόντ' ἐσιδέσθαι; i. e. Quod cruciabilius malum aliud inveneris, quàm filium mortuum conſpicere? Confer. Cl. *Chriſtian. Rohrenſee Diſſ. Moral. de pœna innocent. edit. Witteberg.* 1680. §. XVIII. Sic legimus *Cardianos*, ut ſupplicio acerrimo afficerent *Miltocythem* Thracem, amicum Athenienſium, proditum Charidemo cum filio, primum filium ante patris oculos in navi jugulaſſe & è navi in pelagus projeciſſe, ut ſcribit *Demoſthen. contr. Ariſtocrat.* Fertur etiam, *Strateſicleam Spartiatam* mulierem cum filio captam, tortores rogaſſe, ut prior filio necaretur; ſed ut crudelius vexare-



ASHMOLEAN MUSEUM OXFORD

xaretur non obtinuiſſe, *Plutarcho* teſte. Et apud *Virgilium Priamus* increpat *Neoptolemum*, non de cæde filii, ſed quod ante patris occidiſſet oculos, ut animadvertit *Sextus Victor lib.* I. *Var. lect. c.* 8.

V. Ut ut etiam doctiſſimus *Pufendorff. lib.* 6. *cap.* 2. *pag. m.* 920. 921. *de jur. N. & Gent. edit. Francof. ad Mœn.* 1694. ſtatuat, quod pater jus vitæ & necis in filium habuerit, id quod exemplis & teſtimoniis quibuſdam probat, quæ tamen tanti ponderis non ſunt, ut calculum his adjiciamus album. Aut enim hæc poteſtas occidendi liberos eſt Juris Naturæ, vel Juris Gentium. Non Juris Naturæ, quia injuſtum & inhoneſtum imò turpiſſimum eſt in ſua ſævire viſcera. Non Juris Gentium, quia non ab omnibus Gentibus fuit receptum, licet quidam hoc velint, uti ſentire videtur *Pufendorffius* l. c. cui adſtipulatur *Petr. Gregor. Tholoſan. in præludiis optimi Juriſconſulti lib.* V. *cap.* VII. *pag. m.* 541. *edit. Lugd.* 1583. qui ita literis tradit: *Deinde etiam eadem facultas priſcis Iſraelitis conceſſa videtur atque aliis adjacentibus nationibus.* Sed unde probabit hoc *Tholoſanus?* Si priſcis Iſraelitis hæc poteſtas fuit, utique Patriarchæ eandem exercuerunt. Jam autem conſtat ex Scriptura ſacra, quod etiam atrociſſima crimina à patribus impunita manſerint in filios. Ergo vix probabit, quod facultas occidendi liberos priſcis Iſraelitis conceſſa; alias

alias neceſſe fuiſſet, ut Adam occideret Cainum ob fratricidium, & alii Patriarchæ in filios immorigeros animadverterent & illorum vitia morte punirent, quod autem nullibi in Scriptura legitur. Ut autem *Tholoſanus* ſtabiliat ſuam ſententiam, pergit hoc modo: *Et Abraham ſacrificaſſet procul dubio filium ſuum Iſaacum, niſi divinitus prohibitus fuiſſet*, Gen. c. XXII. *nec auſum tam liberè fuiſſe filium devovere morti diceres, niſi alioquin aliquo modo tunc permiſſa in filios omnimoda parentibus poteſtate.*

VI. Ex quibus verbis hoc axioma eliciendum, quod parens occidere poſſit filium, & filius parere teneatur, quemadmodum Iſaac, quam obedientiam extollunt *Joſeph. lib. 2. Antiq. c.* XIV. *Chryſoſt. Hom.* XLVIII. Verùm probet nobis Tholoſanus, quod Abraham hoc ex jure patriæ poteſtatis fecerit; quod nunquam probabit. Sed ſpecialis amborum virtutis ratio mandati divini interceſſit, cui tanquam ſublimiori & pater & filius ſe merito ſubjecerunt. At ſine eo ſi fuiſſet, nec *Abrahamus* ſine parricidii nota manſurus, nec Iſaacus exuperantiam obſequii, ſed obedientiam cæcam præſtiturus fuiſſet. Conf. pluribus de hac materia diſſerentem celebr. *Johannem Chriſtophor. Becmannum in Diſſert. de exuperant. obſequii, edit. Francof. ad Oder.* 1679. *pag.m.* 33. *ſeq.* Pergit *Tholoſanus* & probare conatur opinionem, teſtimonio Jephthæ, quod filiam immo-

immolaverit, quod iterum falſum deprehendimus, uti *Schedius de Diis German.* & *Saubertus de ſacrificiis*, imò & alii ad oculum demonſtrarunt. Denique *Gallos* producit, quibus jus hoc frequens, auctoritatem quoque *Cæſaris lib.* 6. *de bello Gall.* in medium profert, id quod etiam *Doct. Pufendorff.* facit. Viri, inquit de Gallorum agens moribus, in uxores, ſicut in liberos vitæ neciſque poteſtatem habent. Quibus verbis improba & à vero aliena docetur eorum opinio, qui illud jus necis & poteſtatis proprium ducunt Romanorum, forſan à Juſtiniano perſuaſi, atque adeò corrigenda gloſſa in §. jus autem Romanorum. Verum hæc iterum cum veritate non convenire pluribus probavit auctoritatibus celeb. *Paul. Voet. in Comment. ad Inſtit. pag. m.* 158. *lib.* 1. *tit.* 9.

VII. Miramur ſane verba *Pufendorffii* inquientis *pag. m.* 921. *lib.* VI. *c.* 2. Nihil tamen ad rem facit, quod vulgo afferunt ex *l.* 5. *D. ad L. Pompej. de parricid.* quod patria poteſtas in pietate non in atrocitate conſiſtat. Sed cur non ad rem faciat? cum *honeſtas* moraliter cogat, ut talis eſt coactio juxta *Grot. de jur. Bell.* & *Pac. lib.* 2. *c.* 11. §. 1. Veteres Romanos patribus ſolum certum poteſtatis correctoriæ modum præſcribere, non quidem in atrocitate conſiſtentem, qui ad jus occidendi liberos promiſcue extenditur, id quod viguit non tantum *Neronis*, *Auguſti*, *Ciceronis* & *Claudii*

ævo,

ævo, verum etiam tempore *Papiniani* ac *Conſtantini*. Vid. *Valer. Max. lib.* V. *c.* VIII. *Senec. de Clement. lib.* I. *c.* XIV. *&* *Sueton. in Claudio cap.* XVI. *Halicarnaß. lib.* XII. ſed clementiam magis, quàm ſævitiem ſpirantem: Nunquam enim crediderim *lege* XII. *Tabular.* datam eſſe patribus licentiam indicta cauſa & privatâ auctoritate in filios ad necem uſque animadvertere, contrarium enim manifeſte liquet è *l.* 3. *C. de patr. poteſt. & l.* 5. *ad L. Pompej. de parricid. l. unic. Cod. de Emendat. propinq.* aut per eam adigi parentem, ut in nocentem filium capitalem ſententiam ferat, cum non abſque meditatiſſimo judicio & juris ordine vita hominis ſit extinguenda, adeoque non tantæ parentum multitudini committenda, quorum plerique nec leges ſciunt, nec cauſæ merita expendere valent, *Soto de jure & juſtitia lib.* V. *q.* 2. quin potius credo Legem Regiam & Decemviralem hoc ad terrorem magis liberorum, eoſque in officio rectius continendos ita conſtituiſſe, quàm ut effrenis ſæpe licentia parentibus invehendi in liberos concederetur, *Rittershuſ. in Comment. ad L.* XII. *Tabul. claſſ.* 3. *p.* I. *c.* I. Eſt igitur nullum aliud è conſtitutione Imp. jus coercendi parentibus datum, quam quod permiſit filios quicquam gravius audentes judici caſtigandos offerre dicturo ex ipſorum præſcripto ſententiam, *l.* 3. *C. de patr. poteſt.* Nec enim paternæ caſtigationis poteſtas

immenſa, vel acerba, ſed finita & moderata eſſe debet, quam ſi egrediatur parens *inhoneſtè* imò *tyrannicè* agit, imò filio, ſi admodum violenter egerit, jus reſiſtendi hoc ipſo concedit *arg. l.* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil.* præſertim ſi nullus detur fugæ locus, qui ſi pateat, honeſtius erit filio, fuga ſe ſubducere. Quare hallucinantur valdè, imò peccant ſtatuentes, quod ſi parens filium ingratum, aut ſceleris capitalis reum adhuc hodiè privatim mactet, ut domeſtico potius exemplo, quàm publico pereat, hujus indignationem vel minime, vel plane nulla pœna coercendam, ſiquidem nullus tam juſtæ indignationis prætextus afferri poteſt, qui patrem ab interemtione excuſet, quando ne juſtiſſima quidem parentis exacerbatio ob adulterium filii cum noverca hunc à pœna liberabat, ſed referente *Marciano in l.* 5. *ff. ad L. Pompej. de parricid.* deportationem in Inſulam huic merebatur. Manet igitur verum, parentibus nullum jus vitæ & necis in liberos conceſſum, quamvis *Bodinus lib.* 1. *de Republ.* IV. n. 22. cum aliis hoc velit. Confer. *Paul. Voet. pag. m.* 160.

VIII. Facile itaque ex his elucet quid ſentiendum ſit de lege Ægyptiorum, quæ ſtatuit, cædem liberorum parentibus non capitalem eſſe. Aſſerimus itaque patrem occidentem filium homicidii reum eſſe; Ergo & ejus pœnæ. Confirmatur hoc ex verbis Maimonidis

dis paulo ante allatis §. 2. Si pater filium occiderit, Domus Judicii ſeu Magiſtratus eum morte afficit. Quare pœna capitalis meritò ſtatuitur in ipſum. Rationem addit Deus talem : כי בצלם אלהים עשה את האדם quia ad imaginem Dei fecit hominem. Deus qui creavit hominem ad imaginem ſuam, ſolus in eum dominium habet. Quomodo dominaretur ejus vitæ homo, qui Deo quoad imaginem geſtatam ſimilis eſt? An non hoc eſſet dominari ipſi Deo? Cui verò dominari homo non poteſt, quomodo poteſtatem eum occidendi ſibi ſumet? Falſum quoque eſt hoc, quod in lege addatur hæc ratio : *quia non æquum putatur, quod propter cædem liberorum parentibus vita eripiatur*, qui dediſſent vitam; cum Deus ſolus ſit, qui vitam homini largiatur, *Geneſ.* II. 7. Poſtquam enim primi corporis humani maſſa ad ultimam diſpoſitionem perfectè deducta & organis à bonitate divina ex terra inſtructa erat, Creator inſpiravit ſpiraculum vitæ. Benè Anglus reddit *inſpired or blew.* ad quæ verba erudite commentatur Henric. Ainsworth. Comment. in *Geneſ.* II. *fol. m.* 10. *edit. Londin. This sheweth mans ſpirit not to be of the earth as his body, but of nothing, but inſufflation of God: and ſo differing from the ſpirit of beaſts, as Salomon obſerveth, Eccleſ.* III. 21. Ex his verbis ſatis conſtat, parentes ſpiritum ſeu vitam liberis non dare, ſed

Deum, id quod clarius ex *capit.* XII. 7. *Eccleſ.* conſtat, quando ibi ita: *Revertatur pulvis in terram, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

IX. Conveniunt hîc Rabbini & profani Scriptores. Quod ad Rabbinos attinet, audiamus *Maimonid. in Miſn. in Jeſudei hatora cap.* 4. *ſ.* 9. cujus verba Anglice recitat *Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 10. *edit. Londin. The forme of the ſoule* (of man) *is not compounded of the elements, &c. but is of the Lord from heaven. Therefore when the materiall body, which is compounded of the elements, is ſeparated and the breath perisheth, becauſe it is not found but with the body, and is needfull for the body in all the actions thereof, this* (eſſentiall) *forme is not deſtroyed, &c. but continueth for ever, even for ever and ever.* Eadem Gentiles aſſerunt. *Plutarchus in Conſolat. ad Apollonium* refert illud Epicarmi dictum;

*Concretus eſt, ac diſcretus, & rurſus abiit unde venerat:*
*Terra quidem in terram, ſpiritus ad ſupera.*

Simili modo alius Poeta, citatus à Lorino in hunc locum:

*Terris profecta, rurſus in terras eunt;*
*Quæ germinant ab ætheris celſo ſitu*
*Rurſum poli petunt ſitum ſoluta; nec*
*Quicquam periit, ut editum ſemel fuit.*

Maria Ægyptia moriens dixit: Sepeli, Abba Zozi-

Zozime miſeræ Mariæ corpuſculum : *Redde terræ, quod ſuum eſt, & pulveri adjice pulverem.* *Plutarchus in vita Romuli* adducit hos verſus *Pindari:*

*Omnium corpus tenetur morte pallida,*
*Mens reſtans, æternitatis effigiem tenet.*

Et ſubjungit : Ea enim i. e. anima ex Diis eſt ſola, inde ejus ortus eodem eſt & reditus, non quidem comitante corpore, verum ubi planè à corpore explicata ſit & ſejuncta. Simili modo *Lucret.*

*Cedit enim retrò de terra, quod fuit ante*
*In terra, ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris,*
*Id rurſum cæli fugientia templa receptat.*

*Plato in Cratyl.* Anima cum in corpore eſt, cauſa ipſi eſt, ut vivat, reſpirandi vim ei præbens; ſimul autem ut reſpiratio deſinit, corpus interit & homo moritur. Cum igitur vitæ cauſa Deus, qui creavit animam; ita ex ipſo jure creationis ad imaginem ſuam cum Deo ſubſit ſoli homo, nemo in ejus vitam niſi ſolus Deus jus habet.

X. Porrò ſi vitam hominis conſideramus, cum nulla alia mundi re quoad precium comparari poteſt. Jam nulla eſſet juris proportio inter pœnam & delictum, ſi nullam aliam pater occidens filium pateretur, quàm triduum aſſidere & aſpicere filium occiſum. Parvi enim æſtimaret hanc pœnam pater immitis, quem etiam naturalis amor ab homicidio retrahere non po-

potuiſſet. Hinc Hebræorum doctores planè impoſſibile putant, ejuſmodi caſum dari, uti bene monet cl. *Buxtorffius in diſſertat. de homicidio edit. Baſil.* 1663. hanc quæſtionem movens. Si pater filium caſtigare volens, præter ſuam mentem & intentionem lethaliter eum percutiat, ut moriatur, quid faciendum reliquis filiis? Illi, reſpondet, debent ejus facti ultionem Deo & Magiſtratui committere, neque ipſimet contra eum, vel facto, vel actione inſtituta inſurgere. Hinc & Hebræi ſcribunt, non competere filiis hoc in caſu jus vindicum ſanguinis contra parentem, quod aliis propinquis eſt conceſſum, *Num.* XXXV. 19. Maimonid. in הלכות ממרים cap. v. §. 15. R. Bechai ad *Exod.* XXI. ſcribit, de hoc caſu nullam ſpecialem legem eſſe latam inter varias de homicidiis leges, *quia res ſit inſolita & contra naturam, ut tam crudelis reperiatur pater, qui velit filium ſuum occidere.* Hinc rectè *Diodor. Sicul. lib.* IV. ſcribit: *Nullum patrem de liberis ſua ſponte ſupplicium ſumere, niſi magnitudine delicti ſuperent naturalem parentum erga prolem ſuam amorem.* Jam autem parentum amorem alia omnia ſuperare teſtis eſt Scriptura. Teſtes etiam ſunt profani Scriptores, quorum teſtimonia adducere ſupervacaneum judicamus, cum experientia ipſa teſtis ſit. Ergò probabile, vix dari caſum.

XI. Sit tamen, dari ejuſmodi caſum, ut

apud

apud *Romanos*, *Græcos* & *Ægyptios* ſæpius factum conjicimus ex legibus datis; attamen vix calculum adjicimus illorum ſententiæ, ſtatuentium, homicidium hoc non capitale eſſe, vel leviſſimam mereri pœnam, quod ſapientiores Gentiles etiam negarunt. Non neceſſe judicamus recurrere ad diſtinctionem, quam quidam faciunt inter patrem extra civitatem conſtitutum & intra civitatem; Priori licuiſſe, poſteriori non, aſſerentes. Quis negabit quod Patriarchæ non extra civitatem vixerint, & quilibet pater inſtar regis fuerit? non autem legimus, quod unquam hoc jus exercuerint, etiam in ſontes vel etiam in ſervos, multo minus liberos: Recte ergò ſentit & judicat cl. *Johann. Henric. Heidegger. Exercit.* 1. §. 30. *hiſtor. Patriarch. pag. m.* 36. Sanctos Patriarchas non egiſſe more barbararum gentium, ſed potius naturæ & rationis præſcripto obtemperaſſe, & aſſerit, impune non potuiſſe occidere ſervos, multò minus liberos, quia nemo hominem occidere poſſet, niſi is capital commiſiſſet. Deinde ne quidem reos videntur Domini privati afficere ſupplicio potuiſſe, quia dominium privatum ſubjectum fuit & incluſum publico. Nam lex illa inſcripta hominum cordibus, & poſt diluvium lata, de non effundendo hominis ſanguine, liberi & ſervi conditionem non diſtinguit. Quod ſi Dominus impune injuriam facere poteſt ſervo,

vo, & pater filio, non arguit ea agendi impunitas jus agendi. Nec quia apud multos olim populos advertere poſſumus, Dominis in ſervos & patribus in filios vitæ & necis poteſtatem fuiſſe, ſequitur id vel jure naturæ iis permiſſum eſſe, quia rurſum aliud eſt agendi impunitas, aliud jus; vel Patriarchas ſibi idem licere crediddiſſe. Apud eas ipſas gentes, apud quas impunita fuit quævis major Dominorum erga ſervos, & patrum erga liberos ſævitia, ſapientiores & meliores ſibi moderationis legem dixiſſe reperimus.

XII. Quare etiam ſapientiores Gentiles in contrarium leges contra patres tulerunt, ut ſævitiam hanc injuſtam eſſe oſtenderent. *Plato lib.* XXXIV. *dialog.* IX. *de legib.* hanc poſuit legem. *Si pater*, inquit, *aut mater (accidit quamvis raro) per iram verberibus, vel alio modo filium vel filiam interficiat, perinde ac cæteri homicidæ purgetur, & triennium exules ac poſt ipſam reſtitutionem, maritus ab uxore, uxorque à marito, ſeparentur: nec ſimul amplius liberis procreandis operam dent, neuterque horum ſimul cum illo habitet cujus filium vel fratrem occidit, nec unà cum eo ſacris communicet.* Et ita ætas prudentior in parente, carnificis deteſtata eſt officium. Atque certe ferina & ultrà ferarum inhumanitatem illa erat licentia.

XIII. Cum nemo etiam ſuam carnem odio habeat, ſi mentis ſit compos: & naturali amo-

amore parentes in filiorum injuriis, magis quàm in propriis torquEantur, ut notat *Paulus Juriſconſult. in l. iſti quidem l. 8. quod metus cauſa li. 4. P. t. 2.* & *Juſtinian. in §. fin. de noxalib. action. lib. 4. Inſtit. jur. civil. tit. 8.* explicat & *Virgil. lib.* VIII. *Æneid. verſ.* 574. dum *Euandrum* ita loquentem inducit pro filio ad Deos ſuos:

*Et patrias audite preces; ſi numina veſtra*
*Incolumem Pallanta mihi, ſi fata reſervant;*
*Si viſurus eum vivo, & venturus in unum:*
*Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.*
*Sin aliquem infandum caſum Fortuna minaris,*
*Nunc ô nunc liceat crudelem abrumpere vitam;*
*Dum cura ambigua, dum ſpes incerta futuri,*
*Dum te, chare puer, mea ſola & ſera voluptas,*
*Complexu teneo, gravior ne nuncius aures*
*Vulneret.*

Confer huc *Cornelii Schrevelii annot. ad Virgil. edit. Lugdun. Batav.* 1669. *pag. m.* 757. Ita *Thyeſtes* in morte filiorum ſuorum & *Theſeus* in morte *Hippolyti* à *Seneca* introducuntur anxie ſibi optantes mortem. Mater *Euryali* tragico ſucceſſu exanimati apud *Virgil. lib.* IX. *Æneid.* v. 493. ita conquerens introducitur:

*Figite me, ſi qua eſt pietas, in me omnia tela*
*Conjicite, ô Rutuli, me primum abſumite ferro:*
*Aut tu magne Pater divûm miſerere, tuoque*
*Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo.*

Maximus Tyrius quoque, cum *ſermon.* 36. diſputaret, cur Homerus Jovem Deorum hominum-

minumque patrem dixiſſet, adjecit, hoc factum, quod nomen patris omnium antiquiſſimum eſt, ex his quæ amicitiam deſignant. Et *Ariſtoteles lib. 2. Magn. Mor. c. 12.* parentum amorem primum erga filium gradum amicitiæ obtinere ait, tanquam actionem & finem ſui: neque fieri poſſe filium ei in amore reſpondere, in eo eximia prærogativa data parentibus, in nunquam compenſanda à filiis gratitudine: neque enim natus poteſt genitorem ſuum viciſſim gignere. Dedit & parentum naturæ hoc Deus, ut eſſet partim mortalis, & partim immortalis: mortalis propter corpus corruptibile; immortalis, quod refeferat Deum creatorem omnium, ut doctè annotat *Philo Judaus lib. de Decalog.* & *Rabbi Aben-Ezra in Perush gnaſeret debarim* i.e. in explicatione præceptorum in Principio. Et quia Deus nihil odit eorum quæ facit, pater imitatus patrem omnium non poteſt niſi præter naturam, filium odiſſe, ſic enim patres, ut Dei vicarios honorandos juſſit *Plato 4. Dialog. de legibus.*

XV. Non igitur impunita debet eſſe parentum præter naturam crudelitas, cum nullus affectus reperiri poſſit, qui vincat paternum, ut ait *Juſtinian. in l. cum furioſi l. 7. ver. quis enim de curatore furioſi li. C. n. 7.* Unde ſæpe optant filios ſe feliciores eſſe, quod teſtatur *Theodoretus* his verbis: *Quòd nemo, qui paternam habet dile-*

*dilectionem, æmulatione proſequitur filios: & quod eſt proprium patrum, velle videre filios ſe clariores.* Hunc paternum affectum parentum cordibus congenitum, quod deſiderent filios promoveri ad omnia felicitatis incrementa, ita ut etiam ipſos parentes ſuperent, obſervavit *Claudian. in* 4. *Conſul. Honorii:*

*Aſpice, completur votum, jam natus adæquat*
*Te meritis, &, quod magis eſt optabile, vincit.*

Hunc natura propter ſui conſervationem ad ferociſſima uſque animalia extendit, teſte Poeta *Papiano* ita canente:

——— ——— *aſpera Tigris*
*Fœtibus abreptis Scythico deſerta ſub antro*
*Accubat, & tepidi lambit veſtigia ſaxi,*
*Et Lea, quam ſævo fœtum preſſere cubili*
*Venantes Numidæ, natos erecta ſuperſtat*
*Mente ſub incerta torvum ac miſerabile frendens,*
*Illa quidem turbare globos & frangere morſu*
*Tela quærit: ſed partus amor, crudelia vincit*
*Pectora, & in media catulos circumſpicit ira.*

Et mirum certè quod refert *Orus Apollo de literis hieroglyph. Chenalopecem*, quam anſerum ſpeciebus annumerat *Ariſtoteles lib.* I. *de hiſt. animal. c.* XI. aucupibus ſe offerre capiendam præ nimio pullorum amore, ut interim his evadendi det tempus. Aliaque fere animalia, cum fœtus alunt, ferociores harum cauſa eſſe, nemo eſt qui neſciat, & fortius homi-

nes etiam, pro his ira facile excandeſcunt. Nam ut ſcribit *Apollon. Rhodius lib.* IV. *Argonaut. verſ.* 1089. Λίην γὰρ δύσζηλοι ἑοῖς ἐπὶ παισὶ τοκῆες. i. e. *Valde enim acerbi ſunt propter ſuos liberos parentes.*

XVI. Addunt aliqui & benè, amorem in filios & poſteros maxime augeri, quod in his ſit parentum ſucceſſionis unica ſpes. Interroga, inquit *Maximus Tyrius ſermon.* XX. patrem, cur filium alat, & reſpondebit, ob ſucceſſionis amorem, propter quem tam accurate illum conſervat. Quando & ex illa procreatione videatur genus humanum renovari & immortale permanere artificioſo quodam modo, qui tantò præſtat, quanto magis legitimus eſt. Quod & ſcriptum reliquit *Juſtinianus in* §. 1. *de nupt. in Novell. collat.* 4. *tit.* 1. Sic in omnibus & plantis & animalibus ineſt quædam conſervatio ſpeciei, naturali quodam amore arcte conſtricta, præſtantius tamen in homine, quod nobiliori materia & forma conſtet. Ex his & aliis rationibus facile concludere poſſumus, quod durum admodum ſit, occidere filium. Et ſi hoc fiat, neceſſe eſt, ut pater luat pœnam.

LEX

## LEX SEPTIMA.

### PARRICIDIS EXQVISITAM POENAM IRROGARVNT. NAM ARTICVLATIM PRÆACUTIS CALAMIS CÆSOS IN ARDENTIVM SPINARVM ACERVO CREMARI VIVOS VOLVERVNT, MAXIMVM INTER MORTALES JVDICANTES SCELVS, EI MORTEM INFERRE, A QVO VITAM QVIS ACCEPISSET.

I. Hæc Lex apud *Diodorum Siculum lib.* 1. *cap.* LXXVII. legitur, ex quo etiam recenſent *Athanaſ. Kircherus in Oedip. Ægypt. Syntag.* II. *fol. m.* 121. *edit. Rom. & Hugo Robinſon. in Annal. Mundi, edit. Londin.* quam uberius jam explicare conſtituimus. Et (1) Quod ad nomen *parricidæ* attinet, *parricida* eſt, qui (1) occidit patrem. (2) Parentem, patrem aut matrem. (3) Propinquum. (4) Eum, qui loco parentis eſt. *Scaliger de cauſ. Ling. Lat. c.* 34. T. mutatur in R. ſi à patre non à parente ſit parricida. *Priſcian. lib.* 1. Parricida vel à pari componitur, vel, ut alii dicunt, à patre. Quibuſdam tamen à parente videtur eſſe compoſitum; & pro parenticida, per ſyncopen & commutationem: Sed euphoniæ cauſa videtur dici, pro patricida, ut Græcis eſt πατροκτόνος, πατραλοίας.

II Ut autem cò melius res pateat, vim vocis parricidæ prius enucleabimus. Antiquiſſimis temporibus *Parricidarum* nomine apud Romanos inſigniti fuerunt, qui hominem qualem qualem è medio ſuſtuliſſent. Fidem huic rei *Feſtus* facit, in vocibus *Parici quæſtores*. Parricida non utique is qui parentem occidiſſet, dicebatur, ſed qualemcunque hominem. Confirmat idem vetuſtæ legis fragmentum ſub rege *Numa* latæ, quod hoc modo citat: *Si quis hominem liberum dolo ſciens morte duit, Parricida eſto.* Attamen deinde extenſum id verbi fuiſſe ad capitalia quævis & graviora crimina, patet ex *Cicerone* 2. *de LL. Sacrum Sacrove commendatum qui clepſerit, repſeritve, parricida eſto.* Atque hinc appellati fuerunt *Quæſtores Paricidii*, qui à populo ea gratia conſtituti erant, ut rebus capitalibus præeſſent, teſte *Pomponio l.* 2. §. XXXII. *D. de* O. J. Amplius hæc quoque vox denotat *cædem* perſonarum venerabilium & excelſiore loco poſitarum. Quo ſenſu legimus apud Ciceron. Verr. V. *Facinus eſt vinciri civem Romanum; ſcelus verberari; Parricidium, necari.* Denique ſuccedit anguſtior & propria hujus vocis ſignificatio: Dictus enim *Parricida* contracte fuit quaſi *Parenticida*, deſignaturque is, qui Patris vel Matris, aut cujuſquam ejus affectionis qui Parentum nomine cognoſcitur, fata præparaverit, §. VI. *Inſtit. Publ.*

*jud.*

*jud*. Quæ ſtrictior interpretatio valet heic loci, dum reus arguebatur *occidiſſe ſuum patrem*.

III. Hiſce breviter expoſitis, conſequens nunc eſt, ut, cum hîc agatur de *manifeſti parricidii reo*, videamus quomodo crimen iſtud vere committatur. Et generaliter dicendum eſt, tunc demum cenſeri Parricidium eſſe commiſſum ubi *Dolus malus* adfuerit. *Dolum* autem accipere debemus, προαίρησιν πονηρὰν, ut Græci loqui amant, fraudulentum conſilium & malignum necandi propoſitum. Requiritur θυμὸς εἰς ἔργον διατείνων, *Animus facto intentus*, ait valde ἐμφαντικῶς *Plutarch. L. Quintii vita.* Quamvis enim auctore *Tacito An.* IV. *C. Mos vulgi ſit fortuita ad culpam trahere;* longe ſecus tamen artis noſtræ conditores ſentiunt, utpote qui certam animi propoſitionem & verum delinquendi affectum deſiderant. Vix nos continemus, quin huc tranſferamus perelegantem *Phædri* fabulam LXXXIV. quæ ſic habet:

*Calvi momordit muſca nudatum caput:*
*Quam opprimere captans alapam ſibi duxit gravem.*
*Tunc illa irridens: punctum volucris parvulæ*
*Voluiſti morte ulciſci, quid facies tibi*
*Injuriæ eam quæ dederis contumeliam?*
*Reſpondit: Mecum facile redeo in gratiam,*
*Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio:*

*Sed te contempti generis animal improbum,*
*Quæ delectaris bibere humanum ſanguinem,*
*Optem necare vel majore incommodo.*
*Hoc argumentum veniam mage dari docet,*
*Qui caſu peccat, quam qui conſilio eſt nocens,*
*Illum eſſe quavis pœna dignum judico.*

IV. More Juriſconſultorum loqui *Phædrum* manifeſtum eſt, & quidem venuſte, tamque concinne, ut ferme ovum ovo ſimilius eſſe non poſſit. Nonne & omnes doctiſſimi Juris Doctores ex æquitate Juris civilis ſtatuunt, quod illi aliquam excuſationem mereantur, qui non deſtinato conſilio neque data opera, ſed per imprudentiam & caſum fortuitum peccarint? Illuſtrat hanc notabilem doctrinam probatiſſimus Auctor *Diodor. Sicul. Bibliothec. lib.* XIII. in hæc verba ſcribens: Εἰ τοὺς ἐξ ἐπιβολῆς ἀδικήσαντας δίκαιον ἐστὶ τιμωρεῖσθαι, τοὺς ἀκουσίως ἁμαρτάνοντας προσήκει ἂν συγγνώμης ἀξιοῦν. i. e. *Si conſulto peccantes punire fas habeatur, invitos delinquentes venia dignos haberi par eſt.* His pulchre conſentit Thucydides lib. III. Ξύγγνωμον εἶναι τὸ ἀκούσιον dicens: *Veniam mereri quicquid contra voluntatem fit.* Quicunque ergò meditatæ mentis propoſito parricidium ſuſcepit atque peregit, non incommode dici poteſt, hunc pro Parricida damnandum eſſe, modò ſit doli capax: cujus expertes ſunt *infantes* ac *furioſi*, dum illos innocentia conſilii tuetur, hos fati infelicitas excuſat, ait *Modeſtin. l.* XII. *ff. ad legem Cornel. de Sicariis.*

V. His

V. His Juriſconſultorum effatis accedunt teſtimonia ſacræ Scripturæ & Rabbinorum. Loca Scripturæ ſacræ ſunt *Num.* xxxv. 11. *Deut.* XIX. 1. in quibus omnibus notanter additur vocabulum *per errorem*, *ignorantiam*, *contra voluntatem*. Bene quoque *Anglus Ainsworth.* Comment. in h. l. addit: *ignorantly*, *unadviſed*, *unawares*, *unwillingly*, *without knowledge*, fol. m. 203. Confer. *Franciſc. Ranguello Leg. Polit. ex ſacra juriſprudent. fontib. hauſt. pag. m.* 181. *edit. Francof.* Generis quoque homicidii, quod Hebræi vocant בלא כונה tres faciunt Magiſtri in *Miſchn. & Gemar. tit. Maccoth, c.* 2. *Maimonid. Halach. Rotzach. c.* VI. *Mikotzi præcept. affirm.* 75. ſpecies. Prima eſt, quando בשגגה *ex errore & ignorantia* ſimplici atque infortunio, nec tamen ſine culpa levi ex negligentia aliqua, qualem prudentiores fugerent, contracta, omninò interea nolens, quis hominem occidat, juxta illud in lege ſacra *Exod.* XXI. 3. *Num.* XXXV. *Deut.* XIX. Cui ſpeciei accedit etiam homicidium quidem per ſe aliàs voluntarium, ſed ex ignorantia ſeu errore hujuſmodi facti, velut ex jure commiſſum. Quemadmodum ubi vindex ſanguinis homicidam ex hujuſmodi errore, non ſponte, è civitate Refugii egreſſum occiderat ſeu caſu, ſed qui קרוב לאונס ad injuriam ſeu violentiam prope accedens, ſeu eam quadamtenus imitans interea caſus eſſet, qui nequaquam in

rebus humanis evenire ut plurimum ſoleret; unde nec culpa ne levis quidem homicidæ tribuenda. Exemplum *ſecundæ ſpeciei* habent in eo, qui, dum ſcalam adſcendit forte delabens in quempiam, caſu hoc mortem ei infert. *Tertia* autem homicidii involuntarii ſpecies eſt, *ubi qui alium* occidit ex errore quidem aut ignorantia, quæ tamen prope accedit ad id quod ſpontaneum eſt ſeu voluntarium. E. g. ubi quis alterum occidere volens, alterum jactu aliterve perimit. Ex his tribus homicidii involuntarii ſpeciebus nulla eſt, quæ morte ex ſententia forenſi ordinaria ſive in Hebræo ſive alio puniretur. Nam in univerſum pronunciant, homicidam nullum *qui non ſponte* ſcelus patraret ſic foro puniendum. Confer. cl. *Selden. lib.* IV. *c.* 2. *pag. m.* 486. 487. *de jure Natur. & Gent. juxta Diſciplin. Ebr. edit. Francof.*

VI. Ita etiam Rabbini omnem dolum ab homicida involuntario abeſſe volunt, unde recte Abarbanel: *Si quis ſuperbè egerit cum proximo ſuo, ita ut eum occidat non manu ſua, ſed malo aſtu & dolo, non tutabitur eum ullus locus.* Non omnibus ergò homicidis caſualibus promiſcuè hoc beneficium concedebatur ad aſyla confugere, ſed pro qualitate eorum diverſimodo diſpenſabatur. V. g. *Filius*, qui per errorem occidit patrem, relegatur in exilium, in urbes refugii: ſic ſi pater filium, extra illud

lud tempus, quo eum docet, vel literas, vel opificium: at ſi inter docendum caſtigare nempe eum volens, occidat præter ſuam intentionem, liber eſt ab exilio. Idem judicant de Præceptore, diſcipulum ſimili ratione occidente. Vide *Selden. pag. m.* 487. *lib.* IV. *c.* 2. qui ex Maimonide locum recenſuit. Qui *per imprudentiam* præter ſuam intentionem aliquem occidit, veluti explodens ſclopetum, lapidem emittens vel ex alto dejiciens, ei nullus locus dabatur in urbibus Refugii, & quamvis ab ordinaria pœna domus Judicii immunis eſſet, poterat tamen à Vindice ſanguinis impune occidi. *Maimon. in* הלכות רוצח *cap.* VI. Ratio, quia parum abeſt hæc cædes à voluntaria. Talis enim primo circumſpicere debuiſſet, poſtea demum jacere Itaque hic caſus, juxta illos, non pertinet ad homicidium caſuale, cui ſecuritas & refugium indulgebatur.

VII. Excipitur etiam, ſi in ſimili caſu occidens fuerit occiſi inimicus; quia Scriptura addit in hoc caſu Num. XXXV. 23. *Si non fuerit illi inimicus.* Suſpectus enim eſt talis de *dolo* & *malitia;* Ergo non capax privilegii civitatum Refugii. Qui autem aliquid in altum trahit, & fune rupto decidendo hominem opprimat & occidat, aut qui per ſcalam aſcendens caſu decidit ſuper hominem, liber eſt à pœna exilii, quia quaſi coactus facit. Qui

verò demittens dolium in cellam, vel aliquid aliud deorſum volvens, vel per ſcalam deſcendens, & hominem decidendo occidit, is in exilium ad civitatem Refugii mittitur, quia dicitur *Num.* xxxv. 23. Et cadere fecerit ſuper ipſum, mortuuſque fuerit. Debuiſſet enim diligentius ſibi cavere & omnibus providere: Lanius manum cum ſecuri retrorſum elevans & antrorſum reflectens ad ictum faciendum, ſi quem, retrò ſe elevando manum, percutiat, extra culpam eſt, & immunis ab exilio, ſi autem, manum antrorſum ad ictum demittendo, exilio mulctatur. Has & plures alias exceptiones recenſet cl. *Johannes Buxtorff.* ex *Rabbinor.* ſcriptis *Diſſert. de homicidio, edit. Baſil.* 1663. Hinc recte concludimus homicidium vel parricidium in foro civili aliquo modo excuſari poſſe, qui non deſtinato conſilio fecerit. Verum an omnes caſus fortuiti ſint excuſandi, ex præcedentibus Rabbinorum exceptionibus facile conjecturare licet.

VIII. Diximus etiam in præcedentibus *infantes* & furioſos expertes eſſe, ubi intelligendi ſunt impuberes; ſed qui pubertati proxime accedunt vix procedit, quia id ætatis ſe delinquere intelligit, nec minus dolum capere poteſt, *arg. l.* XIV. *de Sc. Silan.* §. *pen. Inſtit. de Obligat. è del. l.* 23. *d. Furt.* Sed in ea re modum adhibere oportet, ut facilius præſumatur haut innoxium impuberis factum, ſiquidem

dem egerit ſine magna machinatione, vel alias præcoci malitia & immodica audacia ſe non imparem tanto flagitio oſtenderit, de quo *Apulej. Apolog.* In iis ſane quæ facinoris atrocitatem habent, difficilius eſt excuſare pueritiam *doli mali* capacem; At in mediocri & leviore delicto, humanius eſt veniam culpæ dare, eoque referendum Euripideum in Supplic.

*Peccavit. Adoleſcentulis id ineſt vitii;*
*Gratiam itaque delicti facere oportet.*

Confer. *Homer. Il.* Ψ. qui verius, & *Byblius apud Ovid. Metam.* IX. Niſi licentiæ ſcelus addatur. Nam tunc impune non fert, qui ætatis lubrico ſe cum excuſatione peccaſſe ratus eſt: quomodo puerum propter ablatam è corona Dianæ laminam auream Attici judices ſacrilegii damnarunt. Vid. *Ælian. Var. Hiſt. lib.* V. *c.* 16.

IX. Recte ergo infantes & furioſos Juriſconſulti à pœna parricidii excipiunt, qui rationis uſu carent. Actiones enim eorum, qui continuo uſu rationis carent, non poſſunt dici humanæ, & ſic nec pœnam merentur, *l. infans ff. ad l. Cornel. de Sicar. l.* 9. §. 2. *ibi ſanè ſi per furorem ff. ad L.* Cornel. *de* Parricid. *l.* 14. *de Offic. Præſid.* Carpzov. *in pract. Crim. p.* 3. *q.* 145. ſicut & illæ actiones, quæ fiunt ex ignorantia inevitabili ſeu antecedente, quia hæc ignorantia non eſt ullo modo volita, ac proinde, quod ex illa ſequitur, non cenſetur voli-

volitum ſeu voluntarium, ſed involuntarium. Contra imputari poteſt actus homicidii, non tantum qui ex prævia ſcientia & plena & deliberata intentione fit. *Carpzov. pract. Crim. part.* 1. *q.* 7. verum etiam, qui fit ex indirecta intentione. *Thom.* 1. 2 *q.* 76. Carpzov. in pract. Crim. *p.* 1. *num.* 31. *& ſeqq.* Covarruv. *in Clem.* 5. *Conſtit. de homicid. ſecund. part. relect. in pr. num.* 2. imò qui fit ex vehementiori affectu, quo animus fuit concuſſus. Iſtum enim homo in ordinem redigere poterat, *Pufendorff. de Element. Juriſprud. lib.* 2. *axiom.* 1. §. 7. *Conſtit. Carol.* V. *art.* 137. *Num.* 35. *verſ.* 21. *Gen. cap.* IV. 6. *Carpzov. in pract. Crim. p.* 1. *q.* 6. *& part.* 33. *q.* 147. *num.* 55. *& ſeqq.* Idem ſtatuendum in caſu, quando quis volens occidere Titium ex errore occidit *Sejum, l. eum qui nocentem* §. *Si in Iſtria ff. de injur. l. ſcientiam* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil. l. ſi quis ſervo* 20. *in fin. C. de furt. l.* 7. *c. ad L. Cornel. de Sicar. Jacob Thoming. Deciſ.* 38. *Carpz. d. p.* 1. *q.* 5. *Anton. Matth. de crimin. tit. de Sicar. pag.* 541. Ex his facile conjecturari poteſt, quid ſit homicidium proprie caſuale, in quo hæc duo concurrere debent. (1) Ut quis operam det rei licitæ. (2) Ut eam, quam debet, adhibeat diligentiam, quibus conditionibus poſitis, de caſu fortuito nemo tenetur. Qui autem contra fecerit ex culpa tenetur, *Carpz. pract. Crim. part.* 1. *quaſt.* 27. *n.* 11. *& ſeqq.*

X. Quid

X. Quid nunc cenſendum ſit de parricidio proprie dicto, facile patet, ubi vix ullum ſcelus flagitioſum magis atque indignum reperiri poteſt, quapropter *Euripides* ἔργον ἀνοσιώτατον, & *Diodorus Siculus Maximum inter homines ſcelus* appellare non dubitant. Hoc amplius, tanti maleficii crimen eſſe Parricidium exiſtimat *Valer. Max.* ut pari vindicta Parentum ac Deorum violatio expianda ſit. Graviſſime in dirum hoc & atrox facinus invehitur *Cicero pro Sex. Roſc. Amer.* Portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, inquit, eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſſime luce privarit: cum etiam feras inter ſeſe partus atque educatio, & natura ipſa conciliet. Hoc peſſimum crimen execratur *Jaſon* apud *Euripidem*, acerrimoque convitio *Medeam* increpat fœdiſſimi parricidii ream:

*O nimium exoſa mulier, Diis inviſa*
*Mihique, atque omni mortalium generi,*
*Quæ tuos partus jugulare gladio, meque*
*Privatum liberis ire perditum ſuſtines:*
*His vero perpetratis ſolem adſpicis*
*Ac terram, facinus impiiſſimum auſa?*

Nec longe poſt affirmat, illam eſſe

Λέαιναν ὀ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος
Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν.
*Leænam, haut mulierem, naturâ*

*Tyr-*

*Tyrrhena Scylla ſaviori præditam.*

XI. Hoc tantum facinus, tàm immane, tam acerbum penitus fermè ignotum fuit apud *Perſas*, qui in animum inducere nequiverunt, ut quenquam eò ſceleris progreſſurum crederent, quemadmodum illud tradidit *Herodot. in Clio*, cujus verba Græca Latine verſa recenſemus: *Neminem*, inquit, *unquam occidiſſe patrem ſuum ajunt, vel matrem. Sed quotquot hujuſmodi extiterunt exempla, hæc adhibita omni cura apparuiſſe, facta quod ſint à ſubdititiis vel adulterinis liberis. Nefas enim eſſe putant, à liberis ſuis verum necari parentem.* Hinc *Solon* Athenienſium Legislator nullam omnino pœnam in Parricidas conſtituit, quod neminem tam nefarium eſſe putaret, qui tantum crimen committeret. Vid. *Laert. in Solon. Melchior. Junii quæſt. polit. q. 96. pag. m. 244.* Is, cum interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſpondiſſe fertur, διὰ τὸ ἀπελπίσαι, *quia neminem id facturum ſperabat.* Seneca lib. 1. de clement. affirmat quoque, ſumma prudentia præditos viros noluiſſe de parricidio pœnam conſtituere, ne vindicando oſtenderent, tale quid fieri poſſe. Ita *Romulus* lege ſupplicium contra Parricidas decernere noluit, quia ſperabat tale non futurum, quod tamen fefellit, nam ſexcentis poſt Urbem conditam annis *L. Oſtius* patrem è medio ſuſtulit, uti *Plutarch. in vit. Romuli* teſtis eſt.

XII. At-

XII. Attamen, cum nihil adeò ſanctum ſit, quod non aliquando violet audacia, neceſſe fuit quæſitiſſimis afficere pœnis audaces & ſceleſtos homines, quos non pudet paternum & maternum ſanguinem effundere. Hinc *Ægyptii* juſtam & rationabilem cauſam habuerunt, quod horrendum & atrox crimen ſingulari pœna voluerint plecti. Memorabilis de illorum inſtituto locus apud *Diodorum Siculum* invenitur, quem iterum recenſemus: Κατὰ τῶν τέκνων γονεῖς φονευσάντων τιμωρίαν ἐξηλλαγμένην ἔθηκαν, *Contra liberos parricidii reos exquiſita pœna fuerunt uſi.* Qua in re conſiſtebat illa? Ἔδει τοὺς καταδικασθέντας ἐπὶ τούτοις, καλάμοις ὀξέσι δακτυλιαῖα μέρη τοῦ σώματος κατατμηθέντας, ἐπ᾽ ἀκάνθαις κατακαίεσθαι ζῶντας, μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀδικημάτων κρίνοντες, τὸ βιαίως τὸ ζῆν ἀφαιρεῖσθαι τῶν τὴν ζωὴν αὐτοῖς δεδωκότων. *Oportebat hujus criminis damnatos pennis acutis digitalibus corporis partibus præciſis vepribus comburi vivos, maximum inter homines crimen judicantes, vi ſpoliare vita, vitæ ipſorum auctores.* Placuit itaque Ægyptiis ſingulare exemplum in parricidas edere, quo ſceleratorum hominum audaciam eò melius opprimerent.

XIII. Supplicium certe acerbiſſimum in parricidas ſtatuebatur apud Ægyptios; membra ſiquidem acutis pennis digitalibus pungebantur, quod maximum dolorem inferebat, & ita quodlibet membrum cruciatum patiebatur;

id quod convenientiam habere videtur cum illo *Modeſtini l.* IX. *ff. de Lege Pompeja de Parricidis. More Majorum pœna parricidii hæc inſtituta eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberetur.* En convenientiam! hîc *virgæ ſanguineæ*, illîc *ſtimuli acutiſſimi* adhibebantur ad augendam torturam; quid autem fuerint virgæ ſanguineæ pluribus oſtendit *Marcell. Donat. in dilucidat. ad Liv. pag. m.* 3. Convenit & alterum, quo dicitur, quod *parricidæ vepribus combuſti vivi*, ubi *Baſilici* ad *l.* 1. *d. Lege Pompe. de Parricid* ſimplici pœnæ mentione defunguntur, ὁ φονεύων πατέρα ἢ μητέρα πυρὶ παραδίδοται. i. e. *Qui patrem aut matrem occidit, igni necatur*, liquet hoc ex Pauli fragmento l. v. Sent. Tit. XXIV. *hodie tamen*, inquit, *vivi exuruntur.* Ita etiam Ægyptii ſtatuebant non quidem lignis, ſed vepribus acutis inutilibus terræ ponderibus, de quibus legimus Gen. III. 18. quod poſt maledictionem terra ſpinas proferre debeat. Quibus ſignificatur, quod parricidæ ſint maledictio terræ, de quibus nil boni ſperandum.

XIV. Ob criminis atrocitatem quoque Romanorum leges acerbiſſimam pœnam excogitarunt, nempe ut culeo inſuatur Parricida cum cane, gallo gallinaceo & vipera & ſimia, deinde in mare profundum culeus jactetur. Veriſſime dixit *Modeſtinus*, eam pœnam fuiſſe inſtitutam *more majorum* i. e. lege vetu-

vetuſta & à majoribus in civitate Romana jam antiquitus recepta. Etenim Lege Civili publicitus cautum fuit, Parricidii reos in culeum debere vivos inſui, atque ita in mare dejici. Fidem hujus rei certam & exploratam facit *Valer. Maxim. lib.* I. I. 13. Locum itaque ipſum adſcribemus: *Tarquinius Rex M. Tullium Duumvirum, quod librum ſecreta civilium ſacrorum continentem, corruptus Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum in mare abjici juſſit; Idque ſupplicii genus multo poſt Parricidis Lege irrogatum eſt.* Primus hanc pœnam ſuſtinuit, qui omnem ſui nominis apud Romanos memoriam inexpiabili deteſtatione perfudit, *Publicius Malleolus.* Hunc enim matre interempta, culeo inſutum in mare præcipitatum eſſe, docet *Levii* epitom. *lib.* LXVIII. Hujus auctoritatem confirmat Cicero *pro Roſc. Amer.* Et bono publico talis introducta lex fuit, ut magnitudo pœnæ deterreat à ſummo periculoſoque ſcelere malos ac proruptæ audaciæ homines.

XV. Quam ob cauſam hoc factum quærimus? Receptum hoc ea gratia fuiſſe monſtrabit *Juſtinianus*, ut omnium elementorum uſu vivus incipiat carere Parricida, eique cælum ſuperſtiti & terra mortuo auferatur. *Quid enim eſt tam commune quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cælo non que-*

*ant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur, ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant*, uti elegantiſſime *Cicero* ratiocinatur ibidem. Alludens eò canit *Ovidius Metam*. VIII. I.

*Dî te ſummoveant, ô ſacli infamia noſtri,*
*Orbe ſuo; telluſque tibi pontuſque negetur.*

*Melchior Junius in quæſt. politic. pag. m.* 245. rationes addit, cur *parricidæ* culeo inſuantur additis Cane,& Gallo Gallinaceo,& Vipera & Simia, quando ita ſcribit: *Canis* verò additus parricidæ, quia ferox & immundum animal: huic non diſſimilis parricida: *Vipera*, quia parentibus inimica. Vid. *Petr. Gregor. Tholoſan. præludia optim. Juriſconſulti lib*. 5. *c*. 7. *n*. 26. *pag. m*. 549. *edit. Lugd. Bat*. 1583. *Simia*, quia fœtus ſuos ſtrangulat, & præter formam humanam humani nihil habet: Gallus Gallinaceus, quia viperæ maximè infeſtus, ideoque pugna ibi atrocior exoritur, pœna magis exaſperatur. *Culeo* inſuerunt Romani *Parricidas*, & ſic nudos in flumen dejicere noluerunt, ne cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent. Vid. Doctiſ. *Pfanner. Theol. Gent. cap*. XIV. *pag. m*. 348. *Plato quoque lib*. IX. *de Legib*. ſcribit: Si quis filius in tantam iræ inſanæ intemperiem inciderit, ut parentis ſui ſanguine manus impias commaculare audeat, extremis ſuppliciis ſubjectus erit. Et ſi fieri poſſet, juſtiſſimum

eſſet,

eſſet, multis mortis generibus parricidam necari.

XVI. Si igitur parricidium ſupplicio maximo puniatur, quid dicendum erit de filio, qui patrem patriæ proditorem occiderit, & quæritur an impune hoc facere poſſit? quod affirmat *Marcellus in l. 35. ff. de rel. & ſumpt. fun.* Sapientes enim cenſuerunt patriam omnibus neceſſitudinibus eſſe anteferendam. *Cic. de Offic.* inquit: *Omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla charior, quam ea, quæ cum Rep. eſt, unicunque chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui familiares; ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt.* Valer. Max. lib. 5. c. VI. idem teſtatur. Ex quibus hoc conſentaneum elicitur: ſalutem patriæ præferri debere ſaluti parentis, & ſi aut patri aut patriæ ſit pereundum, patri potius, cum ad illam delendam veniret, quàm patriæ pereundum eſſe, imprimis cum parentes ipſi hoſtili furore correpti, venerando parentum nomine excidant. His rationibus reſponſum *Marcelli* ſtabiliri poſſe videtur. Verùm non deſunt rationes, quibus illud impugnatur, ſunt enim Deo proximi parentes & velut in terris Dii quidam, quorum miniſterio Deus uſus eſt, ut nos in pulcherrimum templum ſuum introducat. Ergò honori Dei ſecundus eſt honor, qui parentibus debetur, & meritò cætera inter homines officia antecedit. Et ſanè, ſi parentes Deorum ſimulachra

 ſunt,

ſunt, Diis autem nemo niſi vecors & impius reſiſtit, quî parentibus ſalva pietate reſiſtere poterimus? Nullo civitatis inſtituto reverentia parentibus debita delcri & exſtingui poteſt. Pluribus de hac quæſtione egit *Bernhard. Schultz.* in diſſert. *non occides*, edit. *Rintel.* 1670. *pag. m.* 44. 45. Quid de Parricidis mulieribus partum in utero necantibus ſentiendum, legi poteſt *Carpzov. in pract. crim.* & *prælaud. Schultz. pag. m.* 15. *diſſ. citat.* Omni ergo opera laborarunt Ægyptii, ut crimen hoc nefandum acerbiſſimis pœnis coerceatur, quia crudeliſſimum facinus putarunt, vi ſpoliare vita, vitæ ipſorum Auctores.

## LEX OCTAVA.

MVLIERVM MORTI DESTINATARVM, SI PRÆGNANTES ESSENT, PARTVS EXPECTABATVR, EXISTIMANTES PENITVS INIQVVM ESSE, EVM, QVI NIHIL COMMISISSET, VNA CVM FACINOROSO POENAM PATI, AVT DVOS PLECTI, CVM VNVS DELIQVISSET.

*Diodor. Sicul. Biblioth. lib.* I. LXX. VII.

I. Hanc Legem Ægyptiorum nobis ob oculos ſiſtit prælaudatus Scriptor, quam etiam retulerunt ex illo *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* 2. *de Politic. Ægypt. fol. m.* 121. *edit. Rom.* & *Hugo Robinſon. in*

*An-*

*Annal. Mundi*. Et hoc inſtitutum *Romani* videntur hauſiſſe à veteri inſtituto *Græcorum* & *Ægyptiorum*, qui ejuſdem conſtitutionis exemplo & eximia humanitate Lex Romana juſſit fœminæ prægnantis differre ſupplicium, uſque dum peperiſſet. Auctor eſt *Ulpian. l.* 18. *ff. de Stat. hom.* ſolitum eſſe mulierem, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata eſt, ſervari, dum partum edat. *Diodori Siculi* verba Græca ita ſonant: Τῶν γυναικῶν τῶν καταδικασθεισῶν θανάτῳ τὰς ἐγκύους μὴ θανατοῦσθαι, πρὶν ἂν τέκωσι: *Gravidas mulieres condemnatas morte non affici, priusquam pepererint*. Confirmat id ipſum *Johan. Meurſ. in Themid. Attic. lib.* 2. *cap.* IX. *pag. m.* 82. ex *Anonym. Probl. Rhetor.* XXV. his verbis: Τὴν ἐπὶ θανάτῳ καταδικασθεῖσαν, ἔγκυον οὖσαν, μὴ ἀναιρεῖν, ἕως τέκῃ: *Eam, quæ capitis damnata eſt, ne liceat ſupplicio afficere, quoad pepererit*. Addatur quoque teſtimonium *Plutarchi de ſera numinis vindicta*: Τὸν δ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ νόμον οὐκ εἰκότως ἡμῖν ἀπογεγράφθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτου, μέχρι τέκῃ, φυλάττειν: Nonne Græci rectè videntur deſcripſiſſe Legem *Ægyptiam*, quæ jubet prægnantem capitis damnatam, donec pariat, ſervari. Hoc Ægyptiorum ſtatutum etiam apud Græcos receptum demonſtrat *Ælian. lib.* V. *c.* 18. quod in Areopago obtinuerit. Ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, inquit, ἐπεί τινα φαρμακίδα συνέλαβον, καὶ ἔμελλον θανατώσειν, οὐ πρῶτον αὐτὴν ἀπέκτειναν,

πρὶν ἢ ἀποκυήσειν. *Senatus Areopagiticus captam quandam veneficam morte non mulctavit, niſi partu levatam.* Confer. *Meurſ. de Areopag.*

II. Cum igitur hoc inſtitutum ab Ægyptiis ad Græcos, & à Græcis ad Romanos derivatum ſit, meritò inquiritur in ejus cauſam. Exiſtimamus partim id receptum fuiſſe ex juris naturalis dictamine, quod jubet conſervare prolem in augmentum Reipublicæ, Vid. *Junii quæſt. Politic. de matrimon. pag. m.* 5. 6. partim etiam id receptum pari ratione, qua ſubnixa eſt Legis Regiæ ſententia, inſigni ſcil. cura, ne prolis ſperatæ jacturam temere faciat Reſpubl. Partui enim in hoc favetur, ut in lucem producatur, quia non tantum parenti, cujus eſſe dicitur, verum etiam Reipubl. naſcitur, ait pulchre *Ulpian. l.* 1. §. 15. *ff. de Vent. in poſ. mit.* In qua ſententia fuit etiam prudentiſſimus *Lycurgus*, teſte *Plutarcho* in ejus vita: Οὐκ ἰδίους ἡγεῖτο τῶν πατέρων τοὺς παῖδας, ἀλλὰ κοινοὺς τῆς πόλεως ὁ Λυκοῦργος. *Liberos non parentum proprios ſed totius civitatis communes arbitrabatur Lycurgus.* Partim etiam novæ rationi dandus locus, quam elegantiſſime reddunt *Diodorus Siculus* & *Ælianus*, quorum verba jam adducere lubet.

III. Verba *Diodori* pulcherrima in hanc rem & notatu digniſſima hæc ſunt: Ἡγούμενοι παντελῶς ἄδικον εἶναι τὸ μηδὲν ἀδικῆσαν τῷ ἀδικήσαντι τῆς αὐτῆς μετέχειν τιμωρίας, καὶ παρανομήματος ἑνὸς γινο-

γινομένου, παρὰ δυοῖν λαμβάνειν τὸ πρόστιμον. *Arbitrati ſunt injuſtiſſimum, ut quod peccati expers eſt pœna fiat conſors cum peccante, & cum unum ſit delictum, à duobus exigi pœnam.* Πρὸς δὲ τούτοις, κατὰ προαίρεσιν πονηρὰν ἐκτελεσθέντος τοῦ ἀδικήματος, τὸ μηδεμίαν πως σύνεσιν ἔχον, ὑπὸ τὴν ὁμοίαν ἄγειν κόλασιν. *Præterea, cum maleficium ſit admiſſum dolo malo, iniquum erat eidem pœnæ ſubjici, quod omni caret intellectu:* Τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὅτι τῆς κυούσης ἰδίᾳ τῆς αἰτίας ἐπενηνεγμένης, οὐδαμῶς προσήκει τὸ κοινὸν πατρὸς καὶ μητρὸς τέκνον ἀναιρεῖσθαι. ἐπίσης γὰρ ἂν τις φαύλους διαλάβοι κριτὰς τούς τε τὸν ἔνοχον τῷ φόνῳ σώζοντας, καὶ τοὺς μηδὲν ὅλως ἀδικήσαντας ἀναιροῦντας. *Quod verò maximum eſt, cum prægnans ſola ſit criminis rea, non oportet è medio tolli infantem patris matriſque communem. Nam perinde mali forent judices qui cædis reum tuerentur, ac interficerent eos qui nihil deliquiſſent.* Certe hîc acutiſſimus Scriptor ex intima Philoſophia & Juriſprudentia ratiocinatur, ut nihil ſupra. Paulo brevius diſſerit *Ælianus* in eandem pœne ſummam: Τὸ ἀναίτιον οὖν βρέφος ἀναλύοντες τῆς καταδίκης αἰτίαν μόνην ἐδικαίωσαν τῷ θανάτῳ. *Innocentem infantem condemnatione liberantes* (Areopagitæ) *ſolam delicti ream morte mulctarunt.*

IV. Cum ergò infantes in utero ſint innocentes; & innocentia ſit qualitas moralis, hominem à delicto vacuum ſiſtens, cur pœnæ ſubjacere deberent. Nunc autem conſtat,

quod pœna ſemper referatur ad culpam tanquam conſequens ad ſuum antecedens; Jam patet, in innocente culpam non reperiri, Ergo nec pœnam locum habere poſſe, conf. *Excell. Hochſtetter. Profeſſ. hujus Academ. celeber. diſp. de pœnis. Petr. Fabr. Semeſtr. lib. 2. pag.* 108. 109. Turpiter idcircò ſe dedit Imperator *Caligula*, qui ne prægnantibus quidem pepercit, quin duriter & immiſericorditerque illas crudeli ſupplicio traderet unà cum fœtibus in utero conceptis, ut notat *Dio lib.* 57. Hic contra jus naturæ egit, quod *innocentem non eſſe lædendum dictitat*. Vid. *Robert. Scharock. de Offic. ſecundum jus naturæ c.* III. *n.* 1. Id etiam recte obſervatum eſt *Grotio* II. *de Jur. B. & P. c.* XXI. *n.* 12. qui inquit: *Obligationem ad pœnam ex merito oriri: meritum autem perſonale eſt, quippe ex voluntate ortum habens, quâ nihil magis nobis eſt proprium: unde αὐτεξούσιον vocatur.* Unde patet, neminem, niſi pro ſuo peccato, pœnam luere poſſe, vel debere. Quemadmodum enim culpa, ſeu delictum delinquentis perſonam non egreditur, ita nec reſpondens eidem ſupplicium. Quod nec Jctis Romanis aliter viſum, ceu patet ex *l.* 22. *C. de pœnis.* Sancimus, ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt. Quis igitur noxiam tribueret infantibus in utero adhuc latentibus? Ergò nec pœna ipſis contingere poteſt. Et *l.* 26. *D. de pœn.* Unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur; nec

die-

alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Hinc & *prægnanti* differtur pœna, donec pepererit. Nam partus non pœnæ, ſed Reipubl. naſcitur, & calamitas matris ei non nocet, qui in ventre eſt; qui quia non exiſtit, delinquere non poteſt, cum non entis nulla quoque ſint accidentia.

V. Succedant in partes noſtras *effata divina*, in quibus punitio innocentis injuſtitiæ poſtulatur Exod. XXIII. 7. *Innocentem & juſtum non occides.* Deut. XXIV. 16. *Non interficientur patres pro filiis, neque filii interficientur pro patribus: quiſque pro peccato ſuo morietur* (Confer. huc Angli *Henrici Ainsworth. annotat. in h. l. fol. m.* 109. *edit. Londin.*) Quod totidem verbis reperitur 2. *Reg.* XIV. 6. 2. *Paral.* XXV. 4. Sic *Job.* IV. 7. Eliphaz ad Jobum: Recordare obſecro, inquit, quis fuerit innocens, qui perierit: & utinam recti ſucciſi fuerint. Sapientiſſimi Regum *Salomonis* effato, qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum, *Proverb.* XVII. 15. Maxime autem illuſtris eſt locus *Ezechiel.* XVIII. ubi Deus exprobrantibus ipſi Iſraelitis, quaſi innocentes poſteros ob majorum peccata puniat, hac parabola in proverbium verſa: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt: reſpondet, interpoſito juramento: Anima, quæ peccaverit ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem

patris, neque pater portabit iniquitatem filii: juſtitia juſti ſuper eum erit. Id quod eodem fere modo repetitur *Jerem.* XXXI. 10. & 30. De quibus locis Theologi pluribus agunt, in quorum caſtra Lectores remittimus.

VI. Confirmant hoc etiam profanorum teſtimonia, qui aſſerunt, haut fas eſſe, nec æquum liberis obſtare parentum culpam, & non dubio querendam eorum ſortem, qui ſine crimine fiant miſeri. *Ferretne*, inquit *Cicero*, *ulla civitas laterem iſtiuſmodi legis, ut condemnetur filius aut nepos, ſi pater aut avus deliquiſſent?* De Romanis *Dionyſius Halicarn. lib.* VIII. Τὸ ἔθος τοῦτο, Ρ'ωμαίοις ἐπιχώριον γέγονεν, ἀφεῖσθαι τῆς τιμωρίας ἁπάσης τοὺς παῖδας, ὧν ἂν οἱ πατέρες ἀδικήσωσι. *Mos ille Romanis proprius ab omni pœna liberos eximere, quorum patres deliquerint.* Sullæ nimiam hac de cauſa ſævitiam execratur in ejus vita *Plutarchus*: Ὃ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνοὺς, καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε: *Quod maximè injuſtum videbatur, proſcriptorum liberos atque nepotes infamia notavit, omniumque bona publicavit.* Chorus apud *Euripidem* profundo luctu miſeratus fatum ac infortunium, quod propter matrem filium Andromachæ premebat, his utitur verbis:

Δύστανε γύναι, τλήμων δὲ σὺ παῖ,
Μητρὸς λεχέων ὃς ὑπερθνήσκεις,
Οὐδὲν μετέχων,

Οὐδ'

Οὐδὲ αἴτιος ὤν.

*Mulier infelix, & miſerande puer,*
*Qui propter maternum occumbis thalamum;*
*Nullius delicti culpave reus.*

Ipſa verò Andromache barbarum & inhumanum ſcelus iſtud pronunciat, Troad. v. 757.

Ὦ βάρβαρ' ἐξευρόντες Ἕλληνες κακὰ,
Τί τόνδε παῖδα κτείνετ' οὐδὲν αἴτιον.

*O barbara Græci excogitantes mala,*
*Quid puerum hunc immerentem occiditis?*

Suamque lamentabili ſtylo deplorat ſortem, paritura ſcil. filium victimam libidinis & crudelitatis Græcæ.

VII. Quam graviter hoc rigidum nefas indignetur *Seneca* ſub perſona Medeæ, conſtat ex his:

*Supplex recedens illud extremum precor,*
*Ne culpa natos matris inſontes trahat.*

Et *Jaſon* apud eundem:

*Jam parce nato: ſi quod eſt crimen, meum eſt,*
*Me dede morti; noxium macta caput.*

Hinc Agamemnon juſtiſſime queritur apud *Euripidem Iphig. in Aul.*

Εἶτ' ἐγὼ δίκην δώσω, ὁ μὴ σφαλείς;

*Mene peccati expertem pœnas dare fas eſt?*

Propemodum ſimilis querela mulierum apud *Appianum lib. 4. Civ. bell.* Cur pœnam ſentimus, quæ nihil delinquimus? Eandemque ſeveritatem gravi vituperio proſequitur *Arnobius lib. VII. adverſ. Gent.* cujus verba merentur, ut

ut huc ſcribantur: Si enim Ruſticus cunctabatur in re juſſa, quid infelices ejus commeruerunt liberi, ut in eos ira & indignatio verteretur, offenſaſque alterius luminis ſui ſpoliatione penſarent? Et quiſquam eſt hominum, qui fuiſſe illum Deum credat, tam injuſtum, tam impium, nec mortalium ſaltem conſtituta ſervantem, apud quos nefas habetur magnum, alterum pro altero plecti, & aliena delicta aliorum cervicibus vindicari?

VIII. Ut igitur Poëtarum teſtimonia ſicco ſilentii pede tranſeamus, Jus Civile naturalis æquitatis viva vox eſt, eamque præciſe ſubſequitur, utpote quo noxa caput ſequitur, nullumque patris delictum innocenti filio pœnæ eſt, ut benè tradidit *Ulpianus l. 2. §. pen. ff. de Decur.* Quam egregiè Calliſtratus *l. 26. ff. de Pœn. Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt. Namque unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur.* Quænam eſt cauſa, inquit iterum *Arnobius* eodem *lib.* VII. *ut alienum crimen meo luatur ſanguine, & in nefas extraneum mea vita & innocentia perducatur?* Innocua Tellus queritur ob Phaëthontis temeritatem ab *Ovidio* expoſitam, *Metam. 2. Fab* I.

*Sed tamen exitium fac me meruiſſe; quid unda,*
*Quid meruit frater? cur illi tradita ſorte*
*Æquora decreſcunt, & ab æthere longius abſunt?*

Quem-

Quemadmodum nunc ſecundum ea, quæ diximus peccata imputantur pœnæque delictorum inferuntur ſuis auctoribus, nec adeò matris delinquentis calamitas nocere debet ei, qui in ventre eſt, neceſſaria prorſus fuit hæc LEGVM ÆGYPTIACARVM, Græcarum & Romanarum humaniſſima cautio de ſupplicio mulieris gravidæ differendo, donec partus jam maturus fuerit protractus in dias luminis auras. Eandem rationem agnoſcit, & laudat in hac eadem hypotheſi *Grotius lib.* 2. *de Jur. Bell. & Pac. cap.* XXI. §. XIV. *in fine.*

IX. Ex his allatis colligi poteſt ſanctimonia legum Romanarum, quæ vetant, prægnantem fœminam capitali ſupplicio affici, fœtu nondum in lucem edito, *l.* 3. *ff. de pœn. l.* 8. *de ſtat. hom.* ne innocens partus cum nocente matre extinguatur & pereat, *Jul. Clarus in pract.* §. *ult. q.* 97. *n.* 5. Ex hac ratione poſt partum editum mulier ad pœnam corporalem damnata, non niſi exactis ſex ſeptimanis ad ſupplicium trahitur, quo temporis ſpatio elapſo, vires illam recuperaſſe veriſimile eſt, ut hanc pœnam ſine periculo mortis ſuſtinere queat, *Petr. Theodor. in colleg. crim. Diſp.* 10. *th.* 5. *Lit. F.* Licet enim puerpera dicatur ſana *l.* 14. *ff. de ædil. edict.* attamen quia facile fieri poteſt, ut partus recens editus ob nutrimenti & lactis materni corruptionem periret, non immeritò fuſtigatio per illud tempus differri,

ac

ac poſtea ita attemperari debet, ne per eam alimenta infanti detrahantur, uti de his fuſe egit *D. Carpzov. in pract. crim. p. 3. q. 137. n. 21. & ſeqq.*

## LEX NONA.
## ORDINUM DESERTORIBUS, AUT IMPERATORUM JUSSA NON EXEQUENTIBUS, NON MORTIS SED INFAMIÆ EXTREMÆ POENAM DECERNIT LEX.

I. Hanc Legem nobis exhibet *Diodorus Siculus Biblioth. Hiſt. lib.* I. LXX. VIII. vide quoque *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* II. *fol. m.* 121. *edit. Rom. Robinſon. in Annal. Mundi, edit. Londin.* quæ agit de re militari & militum pœnis. Ante oculos ergò nobis ponit (1) *Ordinum deſertores*, qui miſſo illo fugam capiebant. Cum igitur multum interſit, quod acies bene inſtructa ſit; & contra multum detrimenti eveniat, ſi ordo diſturbetur per deſertores; hinc ſequitur quod ob damnum illatum pœna ſint afficiendi. Quia nunc acies, ut *Livius ait Deca.* I. *lib.* IX. diſtinctior, & ex pluribus partibus conſtans, non ſolum facilis eſt partienti, quacunque opus ſit, faciliſque jungenti: ſed & firmam ſpondet contra inordinatos victoriam, etiamſi forent leones. Quemadmodum enim Polybio teſte lib. 10. in ædificiis

ciis,ubi recto & uno vinculo comprehenduntur ædes, id quod conſutum eſt, magis durat: ſic & in Exercitu, ubi viritim & ſecundum manipulos cuncta diligenter procurantur, univerſus Exercitus firmus conſtituitur: & verè, ſecundum Xenophontem in Oeconomicis, ut nihil vel ad uſum commodius, vel ad ſpeciem pulchrius eſt ORDINE: ita ordinatus Exercitus amicis aſpectu eſt jucundiſſimus, hoſtibus moleſtiſſimus. Non immerito igitur idem *Xenophon lib.* 8. *Pædia Cyrum* ſuum commendat, quod apta collocatione tribus militares diſtribuerit: Nam quanto magis ſubita ſunt (inquit) in rebus bellicis temporum momenta: tanto plus ab iis delinquitur, qui tardius in iis ſe gerunt: per illos vero, qui mature adſunt, ea fieri videbat, quæ bellicis in rebus quantivis precii ſunt. Hinc & *Neſtor* apud *Homerum Iliad.* β. debellandi cum Trojanis modum enarraturus, ἀπαξίαν ſuadet *Agamemnoni*: ut delectu habito aciem inſtruat, & in *Ordines* certos ſegreget per nationes,tribus & claſſes. Quod & *Onoſander* monet de *re milit. c.* 25. Eſt Imperatoris prudentis ſic ordines collocare, ut fratres cum fratribus, amici cum amicis conjungantur.

II. Ubi enim periclitantes à proximis diliguntur, ibi neceſſe eſt, amantes pro illis depugnare audacius, ſiquidem pudor quoque & metus infamiæ prohibet, bene de ſe meritum deſe-

deſerere, neque gratiam ei referre. Omninò itaque juxta *Vegetium lib.* III. *Cap.* XIV. Acies ſi ſapienter diſponitur, plurimum juvat: ſin imperitè, quamvis optimi bellatores, mala tamen diſpoſitione franguntur: periculumque de hoſtibus ſemper graviſſimum ſuſtinet diviſus & inordinatus exercitus, ut idem loquitur *lib.* I. *cap.* 9. ORDINESQVE in prælio non ſervatos magnum cladis & internecionis exercitus eſſe cauſam, apud *Herodotum lib.* IX. ſatis ſuperque teſtatur *Perſarum* clades in pugna Platæenſi. Nihil ergò magis prodeſſe conſtat in pugna, idem adſtruit *Veget. lib.* I. *c.* 26. quam ut aſſiduo exercitio milites in acie diſpoſito ſervent ordines: necubi contra, quam expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam ut conſtipati perdunt ſpacia pugnandi, & ſibi invicem impedimento ſunt: ita rariores atque interlucentes, aditum perrumpendi hoſtibus præſtant. Ex quibus liquet, in quacunque re (ut ex Xenophontis Oeconomicis ſcribit *Jovianus Pontan. lib.* I. *hiſt.*) præſertim verò militari, nihil ORDINE ipſo potius ac majus eſſe. Quod ipſum militi ſæpiſſime inculcare præcipit *Onoſander c.* 28. Nihil eſſe melius, quam SERVARE ORDINES: nec quicquam periculoſius, quàm SOLVERE.

III. Qui nunc Ordinem deſerebant, digni pœna erant; Turpe enim eſt ſtationem & or-

dinem

dinem in bello relinquere, & clypeum & arma abjicere, & fugere, & qui hoc faciebat infamis habebatur. Expreſsè *Lyſias Orat.* 1. Κατὰ Θεομνήστου innuit, τὸν τὰ ὅπλα ἀποβεβληκότα ἄτιμον εἶναι, h. e. *infamiâ notatum eſſe, qui arma abjecerit.* Et Ariſtotel. l. v. Ethic. c. III. Προστάττει δ' ὁ νόμος καὶ τὰ τοῦ ἀνδρείου ἔργα ποιεῖν, οἷον μὴ λιπεῖν τὴν τάξιν, μηδὲ φεύγειν, μηδὲ ῥίπτειν τὰ ὅπλα. Id eſt, *Lex autem viri fortis muneribus fungi jubet; ut locum in ordine tenere, non fugere, non arma abjicere.* Item *in* 2. *Rhetor. c.* 6. dicit: Αἰσχρά ἐστιν ὅσα ἀπὸ κακίας ἔργα ἐστὶν, οἷον ἀποβάλλειν ἀσπίδα, ἢ φεύγειν: *Turpia ſunt & flagitioſa omnia, quæ oriuntur ex nequitia, velut arma abjicere, & fugere.* Ac inprimis hoc erat turpe atque infame, abjicere clypeum. Qui enim clypeum abjecerat, eo teſtabatur ſe eſſe ab hoſte victum, 2. *Sam.* 1. 21. Unde colligimus etiam apud Judæos ſummæ infamiæ fuiſſe, ſi quis clypeum in campo reliquiſſet. Vid. *Florileg. Zimmerman. pag. m.* 237. Hinc *Ulyſſes Odyſſ.* ξ (14.) 10. de ſe ipſo dicit, quod non fuerit ἀποφώλιος, *obſcurus*, οὐδὲ φυγοπτόλεμος, *neque pugnæ deſertor. Chabrias Athenienſis* cum fortiſſime pugnaret in navi, & in roſtro percuſſa cum cœpiſſet ſidere, maluit in ea fortiter cum armis occumbere, quàm omiſſo clypeo ad proximas naves enatare ſalvus, teſte *Æmil. Prob. in ejus vit.* Quo pertinet illud *Platonis Dialog.* 5. *de Republ. Arbitror eum, qui in acie ordinem deſeruit, vel*

K ar-

*arma abjecit*, *vel tale quid propter timiditatem commiſit, ad opificum ordinem vel agricolarum eſſe tranſmittendum*, i. e. pro ignominioſo habendum talem, quod ad capeſcendam virtutem neutiquam eſt idoneus, ac ſordidis & infam. notæ artibus exercetur, quæ in civitate non magni fiunt. Cujuſmodi homines etiam *Ariſtoteles*, propter ignominioſum vitæ genus, è numero civium exeſſe jubet, 3. *Politic. c.* v. *&* VII. *c.* IX. Hinc procul dubio apud *Germ. SCHELM*, quaſi qui abjecit ſcutum & galeam **Schild und Helm.**

IV. Huc etiam refert Lex illos, qui Imperatorum juſſa non executi fuiſſent. Certe ſuo Duci tàm ſtrictè obedire tenebatur miles, ut nihil præter ejus ſententiam agere liceret impune. *Juſtiniani* Lex militaris XXVII. legi meretur: Ἐάν τις ἐν πολέμῳ πρᾶγμα ἀπαγορευόμενον αὐτῷ παρὰ γνώμην τοῦ δικαίου ἄρχοντος ποιήσῃ ἢ τὰ ἐνταλθέντα αὐτῷ παρ᾽ αὐτοῦ μὴ πληρώσῃ, ἐσχάτως τιμωρεῖται, εἰ καὶ καλῶς τὸ πρᾶγμα διῴκησεν. i. e. *Qui in bello rem ſibi prohibitam contra ſententiam proprii ducis fecerit, aut ab ipſo mandata non adimpleverit, extremo ſupplicio afficitur, licet res benè ceſſerit.* Cujus ſtrictæ diſciplinæ exempla in Romana hiſtoria atque alibi non deeſſe conſtat. Braſidas olim apud *Thucydidem lib.* v. in milite tria requirebat: VELLE, VERERI, DVCIBVS OBEDIRE. Quæ ſi obſerventur, exercitus eſt quaſi in cantu harmonia.

nia. Vid. *Auguſtin. lib.* 2. *cap.* XXI. *de Civit. Dei.* Conf. *Eli. Reuſner. Theſaur. Bell. edit. Ien.* 1661. *pag. m.* 197. Unde hodienum ſevere in iſtos animadvertitur in bello, qui mandata Imperatorum non exequuntur, & præprimis ultimo ſupplicio afficiuntur.

V. Verum hanc ſeveriſſimam pœnam abeſſe volebant Ægyptii ab ordinum Deſertoribus & Imperatorum mandata non exequentibus. *Non mortis, ſed infamiæ extremæ pœnam decernebant.* Sed qualis fuerit reperimus apud *Diodor. Siculum*: Προσέταξε τοὺς τοιούτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ' ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθῆσι γυναικείαις. Statuit Lex: HOS TRES IN FORO DIES SEDERE IN VESTIBVS MVLIEBRIBVS. Subjungit etiam *Diodorus*: *humaniorem etiam eam legem eſſe aliis, quæ mortem inferunt; ſed occulta vi penè validiorem eſſe, cum metu tantæ infamiæ viros abſterreret, quibus mors optatior.* Turpiſſimum profecto fuit exiſtimatum, non apud Romanos tantum, ſed & in Græcia, & apud alias quoque licet barbaras nationes antiquitus, ſi homines *muliebre veſtimentum* aſſumerent. Quocirca *Lycii*, cum iis luctus inciderat, *muliebrem veſtem* induebant, ut deformitate cultus commoniti, maturius ſtultum projicere mœrorem vellent: idque *Valer. Maxim. lib.* 2. *c.* 1. & *Plutarch.* ἐν τῷ παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον memoriæ prodiderunt. Nec movemur illis *Julii Pollucis lib.* VII.

Ὀνομαστικῶν c. 2. verbis: Ὅτι οἱ βάρβαροι καὶ τῶν θηλυπρεπεστέραις τῶν ἠσθήτων ἔχαιρον, nam ex præcedentibus apparet, hæc eum dubitanter protuliſſe illis additis: Εἰ μὴ ἄρα. & Diogenes Laërt. ex jure non ſcripto id eſſe docet alicubi *lib.* 3. *de vit. Philoſoph. in Platone*, ne homines in forum, hoc eſt, in conſpectum aliorum nudi aut veſtibus muliebribus amicti prodeant.

VI. Priuſquam autem ad pleniorem explicationem nos conferamus, examinabimus pœnarum militarium diſtinctiones. Quarum quædam ſunt militum propriæ, quædam paganorum, quædam communes. Rurſum quæ paganorum, eæ vel humiliorum, i. e. plebejorum; vel etiam honeſtiorum hominum perſonis infliguntur; ſed de militaribus communibus hoc loco dicturi ſumus. Pœnæ militum hujuſcemodi ſunt: (ait *Modeſtin. l.* 3. §. *pœnæ. D. de re milit.*) Caſtigatio, pecuniaria mulcta, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus dejectio, ignominioſa miſſio. Hæc *Modeſtinus*, qui inter militum pœnas pecuniariam mulctam percenſuit, non quod ea militum ſit propria, ſed quod ut paganis, ita militibus nonnunquam indicatur atque irrogetur. Nec mirum eſt pœnas quaſdam communes eſſe: cum & militum delicta ſive admiſſa aut propria ſint, aut cum cæteris communia: unde & perſecutio aut propria, aut communis eſt, ut *Menander* ſcribit

bit *l. 2. D. de re milit.* Proprium militare delictum idem eſſe ait d. l. 2. quod quis uti miles admittit in exercitu ſcil. vel in caſtris, & hoc quidem caſtrenſe peccatum dicere cum *Vopiſco* poſſumus: cujus hæc verba ſunt in *Aureliano.* Militibus ita timori fuit, ut ſub eo, poſteaquam ſemel cum ingenti ſeveritate caſtrenſia peccata correxit, nemo peccaverit. Caſtrenſe ſive militare delictum eſt, quod extra caſtra & in pace nullum aut perleve ſaltem eſſet: veluti *contumaciæ*, *ſegnitiæ* vel *deſidiæ crimen*, (ut eſt apud *Menandrum l. omne delictum, in princip. D. de re milit.*) aut ſi miles artem ludicram feciſſet; nam capite puniendum eſſe militem ex ea cauſa *Menander* idem apud *Macrum* auctor eſt *l. quædam delicta D. de pœn.* Ex quo apparet, militari delicto non ſemper propriam pœnam, ſed plerumque communem injungi: ut & ex eo, quod miles, qui in bello arma amiſit, capite punitur, humanè militiam mutat, auctore *Modeſtino d. l. 3. §. miles.* Nam armorum amiſſio eſt militare & quidem grave, (ut Paulus docet) itaque flagitium militare, ut Imperatores loquuntur *l. & militibus C. de teſt. militis*, dici poteſt.

VII. Polybius quidem hoc ipſum non in delictis, quæ ἀδικήματα nominat, militaribus, ſed in criminibus, quæ ἐγκλήματα vocantur, poſuit: ut & alia quæpiam, veluti ſi quis *lo-*

*cum ſtationemve deſeruerit.* Hi apud Ægyptios non fuſtibus vel aliis pœnis afficiebantur, ſed ignominia hac, ut veſtibus muliebribus induti in foro ſederent. Hos imitatus *Octavius Auguſt.* teſte *Sueton. cap.* XXIV. *in Octav.* Octavius Auguſtus cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit, Centuriones ſtatione deſerta itidem ut manipulares capitali animadverſione puniit: pro cætero delictorum genere VARIIS IGNOMINIIS affecit, ut ſtare per totum diem juberet ante Prætorium interdum tunicatos diſcinctoſque, nonnunquam cum decempedis vel etiam ceſpitem portantes. Hæc ex antiquo more *Octavius. Lucius Calphurnius Piſo* Conſul cum in *Sicilia* bellum adverſus fugitivos gereret, & *Titius* equitum præfectus, fugitivorum multitudine hoſtium circumventus, arma ipſis tradidiſſet, his præfectum ignominiæ generibus affici juſſit, eum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaque tunica indutum, nudis pedibus à mane noctem uſque ad principia per omne tempus militiæ adeſſe: interdixit etiam ei convictum hominum uſumque balneorum, &c. ut eſt apud *Valerium lib.* 2. *cap.* 2. Lucullus quoque ad *Mithridatem* & *Tigranem* debellandos miſſus, hanc *ignominiæ* labem *ignavis* & *meticuloſis*, &, ut *Cæſaris* verbum uſurpemus, *fugitivis militibus* ſuis aſperſit, ut eos in aliorum commilitonum conſpectu juberet *tunica-*

*tos*

*tos* & *diſcinctos* foſſam ad duodecim pedum altitudinem fodere. Idque *Plutarchus* idem memoriæ prodidit *in Lucull. vit.* Erat hæc quaſi quædam pœna, *ignominia* quidem certe haut levis, præſertim militibus, obire cogi vilia potius quædam miniſteria, quam militaria. Milites igitur *Mariani* apud *Plutarchum in vit. Mar.* de illo queruntur, cum à *Teutonibus* ad bellum (pugnam) provocatus eſſet, quod ipſis liturgis ad foſſas excavandas, exhauriendum cœnum & flumina divertenda perpetuò uteretur: ad dimicandum verò in aciem exire adverſus hoſtes non ſineret, ſed tanquam FOEMINAS ſub janitorum cuſtodia contineret. Plura de his militum pœnis vide apud *Marcell. Donat. in dilucidat. ad Sueton. pag. m.* 310. 311.

VIII. Cum hac Ægyptiorum lege aliquo modo convenire videtur Lex *Spartanorum*, qui ignavos in bello variè notabant, teſte *Plutarcho in Ageſil.* dum ita memoriæ prodit: *Non enim ſolùm arcentur omni Magiſtratu aut imperio, ſed & dare alicui horum uxorem, aut ab eo accipere infame eſt. Percutit autem & cædit eos, ſi quis vult, obviorum: at illi ferunt, ſqualidi & humiles, palliaque geſtant colore aliquo tincta & inſcripta. Partem etiam barbæ, quæ eſt ad labrum ſuperius, ſive muſtaca radunt; partem verò alunt.* Quam ignominioſa hæc fuerint clarè patet, cum non ſolum ab omni munere publico re-

moverentur; ſed & matrimonium contrahere non poſſent, imo verſicolores veſtes inſtar impudicarum fœminarum geſtarent. Ita etiam hoc elucet ex eo, quod partem aliquam barbæ radi cogerentur, quæ ignominia graviſſima, uti patet ex Scriptura Sacra 2. *Sam.* x. 4. ubi *Hanon* legatis Davidis partem barbæ deradi curavit in ignominiam & contumelioſæ ſervitutis indicium. Conf. *Marcell. Donat. dilucid. in Sueton. pag. m.* 699.

IX. His & aliis ignominiis ad meliorem frugem trahere volebant Ægyptii Deſertores & juſſa non exequentes, qui ſi poſtmodum virtute vitam emendaſſent, & recta facerent, ad priorem ſtatum redibant. Sæpe enim ejuſmodi homines ignominia affecti ad meliorem frugem reducti ſunt, uti experientia & hiſtoriarum monumenta ſatis teſtantur. Unicum exemplum in medium proferre lubet *Themiſtoclis*, quem infamia ad virtutem impulit, ut vitia cum virtutibus commutaret. Et hæc de hac lege ſufficiant.

## LEX DECIMA.
## HIS QVI SECRETA HOSTIBVS REVELASSENT, LINGVAM LEX JVBEBAT ABSCINDI.

I. Hanc legem Ægyptiorum nobis ſubminiſtrat Diodor. Siculus l. c. cui addantur *Robinſon.*

*binſon. Annal.* & *Kircher. in Oedip. Ægypt. fol.* 121. quam etiam illuſtrare propoſuimus. Conſtat autem quod in bello & etiam in Rempubl. conſilia ſint occultanda, ne illorum propalatione nocumentum oriatur. Magnum etenim ad victoriam adfert momentum, quando ſecretorum cognitionem habet. Hinc multum confert occultare ſua conſilia, facta, & ſtratagemata, uti notat *Frontin. lib.* 1. *c.* 1. Pauci enim ſunt, quibus fidere tutum eſt: multi verò ſunt, quibus confringere teſſeram libido eſt: ut ne fidei quidem ipſi in bello fidem habere expediat. Quam in ſententiam & *Onoſander lib. de Optim. Imp.* c. de conſiliis non evulgandis ſcribit: Stulti inconſideratique eſſe temere in vulgus conſilium promere, & multitudini arcanum intempeſtive committere. Improbi enim, & qui de Republica male ſentiunt, ejuſmodi obſervant occaſiones: quas nacti ad hoſtes confeſtim transfugiunt, eum nuncium allaturi, unde ſibi honores & præmia conſequi poſſe rentur. Nec fuit unquam ullus exercitus, de quo pleraſque ob cauſas tum liberi tum ſervi in hoſtes haut commigrent; ubi præſertim arcanum aliquod atque ſerium tractari ſentiunt: vel conſerendi manum, & præliandi tempus adventare animadvertunt. Nulla igitur conſilia, teſte *Vegetio lib.* 3. *cap.* XXVI. meliora ſunt, quam quæ ignoraverit adverſarius, antequam facias.

II. Quàm malum & nefandum crimen proditio ſit, & quàm male audiant proditores ex ſequentibus teſtimoniis patebit. Proditores urbium, ſcribit *L. Danæus in Aphoriſm. polit. pag.* 141. ſæpe ne ipſi quidem per proditionem evadunt, ſed ab hoſte trucidantur. *Camerar. Autor celeb. Centur.* 2. *Oper. ſucciſ. cap.* 60. *pag.* 363. de proditione ita loquitur: Conſtat proditionem eſſe tale vitium, quod licet primo aſpectu iis, quibus utilitas aut emolumentum inde acquiritur, arrideat, iique ſe remuneraturos proditores promittant: tamen eos interno odio proſequuntur, ut tales homines indignos præmio aut honore exiſtiment, eorumque ſcelus deteſtentur, non raro autem acerbe quoque puniant. Et *cap.* 61. *pag.* 372. Conſtat ex hiſtoriis, eos qui vel proditione, vel alio ſcelere, poſtpoſita ſalute patriæ & Principum ſuorum facinora aggreſſi ſunt, majori ſupplicio puniri non potuiſſe: quàm ut unà cum ipſorum infami morte etiam memoria plane obliteraretur. Quàm ſæpe hoc factum ex probatis hiſtoriis probat *Georg. Richter. in Axiomat. Oecon. Axiom.* XXCV. *pag. m.* 212. 213. *ſeqq.*

III. Unde factum ut etiam leges civiles proditores acerbiſſimis pœnis affici jubeant. Apud veteres Romanos *transfugæ* atque proditores variis ſuppliciis ſubdebantur. Q. *Fabius Maximus*, cujus alioqui manſuetiſſimum ingenium fuit, transfugarum DEXTRAS præcidit,

cidit, ut *Julius Frontin. lib.* IV. *ſtratagem. cap.* I. narrat, & *Valer. Maxim.* his verbis, *lib.* 2. *cap.* 2. ubi de *Q. Fabio.* Omnium, inquit, qui ex præſidiis Romanorum ad hoſtes transfugerant, captique erant, MANVS ABSCIDIT, ut trunca præ ſe brachia geſtantes, metum defectionis reliquis injicerent. Idemque à Romanis, juſſu Claudii Flacci, ad Capuam fuiſſe factum *Appianus* tradit in illo loco: Ῥωμαῖοι δὲ (inquit in *Annibalica*) τῇ μὲν πόλει φρουρὰν ἐπέστησαν, καὶ ὅσους εὗρον αὐτομολοῦντας, χεῖρας αὐτῶν ἀπέτεμον. Uxeloduno etiam expugnato, cum neceſſitate coacti oppidani ſe tradidiſſent, Cæſar, qui ſuam lenitatem cognitam omnibus ſciret, neque vereretur ne quid crudelitate naturæ videretur aſperius feciſſe, &c. Itaque omnibus qui arma tulerant, manus præcidit vitamque conceſſit: quo teſtatior eſſet pœna improborum, ut ab *Hirtio* vel *Oppio* relatum eſt *lib.* 8. *Commentar. Cæſar. de bell. Gallic.*

IV. Porrò in transfugas durius aliquando animadverſum à Romanis legimus, quippe vivi comburebantur, aut furca ſuſpendebantur. Si miles, prius exauctorabatur: vid. *Fabri Semeſtr. lib. pag. m.* 92. Et *Africanus* quidem ſuperior devicta Carthagine, cum omnes, qui ex Romanorum exercitibus ad Pœnos tranſierant, in ſuam poteſtatem redegiſſet, gravius Romanos quàm Latinos profugas puniiſſe traditur: Hos enim i. e. Romanos tanquam Pa-

triæ

triæ fugitivos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos ſocios ſecuri percuſſit. Poſterior autem *Africanus*, everſo Punico imperio, exterarum gentium transfugas in edendis populo ſpectaculis feris beſtiis objecit. *L. Paullus* Perſe Rege ſuperato, ejuſdem generis & culpæ homines Elephantis proterendos ſubſtravit: quæ nobis exempla *Valer. lib. 2. cap. 2.* ſuppeditavit. Cæterum Romani milites transfugæ ita plerumque apud veteres præſertim Romæ plectebantur, ut verberati aut ſecuri percuterentur, aut de ſaxo Tarpejo dejicerentur, *Liv. lib. 3. decad. 3.* vid. Fabr. Semeſtr. lib. pag. m. 93. Ex his ſatis elucet gravitas pœnæ in proditores & profugos apud Romanos.

V. Ad Græcos quod attinet, apud illos, ſacrilegos & proditores eadem lex puniebat & eodem quoque modo: *exilio* nempe & ſepultura extra patriam, ac bonorum omnium publicatione: vid. *Xenophont. Hiſtor. Græc. lib. 1.* Si in poteſtate erant, MORTIS POENA afficiebantur. Hinc Hermogenes capiendus de Partit. Sect. IV. de Sacrilego quod morti ſit dandus. De proditore verò *Lycurgus in Leocratem*: *Nam quis*, inquit, *videns proditorem morte punitum, patriam in periculis deſeret?* Nec fas fuit eos ſepelire, uti ex pluribus ſcriptoribus probat Johann. *Meurſ. lib. 2. Them. Attic.* Quin poſt mortem etiam ſi quis proditor deprehen-

ſus

ſus foret, oſſa lex effodere jubebat: &, quod vivo eventurum omninò erat, mortuo quoque accidebat, ac projecta extra patriam *Atticam*. *Lycurg*. *Orat*. *in Leocrat*. vid *pag*. 63. *Meurſ*.

VI. Plura genera pœnarum Proditorum adducere poſſemus, ſi opus eſſet, modo *Ægyptios* ut adducamus, apud quos hæc lex poſita erat, ut Proditoribus *linguam abſcinderent*, ne impoſterum ejuſmodi crimen committere & Reipubl. damnum inferre poſſent. Putabant enim æquum eſſe, ut illud membrum, quo crimen commiſiſſet ille, pœna afficeretur, & quidem tali, ne hoc ulterius uti poſſet. Quàm gravis autem fuerit hæc pœna, omnibus conjectu facile eſt, & factum ob hanc cauſam, ut aliis terrorem incutiant, quo ſibi ab hoc crimine diligentiſſime caverent.

## LEX VNDECIMA.

QVI MONETAM CIRCVMCIDERET, AVT ADVLTERINAM CVDERET, AVT PONDVS, AVT SIGNA MVTARET, AVT FALSAS SYNGRAPHAS ADFERRET, AMBÆ AMPVTABANTVR MANVS, VT QVÆ CORPORIS PARS PECCASSET, PER VNIVERSAM VITAM LVERET POENAM. CAETERI QVOQVE MONITI ALIORVM CALAMITATE A SIMILI SCELERE ABSTINERENT.

I. Ita

I. Ita hanc legem recenſet *Athanaſius Kircherus in Oedip. Ægypt. Syntag. 2. fol. m. 121. edit. Rom.* quam *Diodorus Siculus lib. 1. pag. m. 68. edit. Hanov.* 1611. ita refert: *Illis qui monetam adulterarent, aut nova ſubſtituerent pondera, aut ſigilla tranſculperent: Scribis etiam, qui tabulas falſas concinnarent: aut ſyngraphas ementitas obtruderent; Lex utramque manum præcidi juſſit, ut qua quis corporis parte in legem peccaſſet, hac ad finem uſque irreparabili cum damno & ipſe culpam lueret, & alios pœna hac commonefactos ab id generis facinore deterreret.* Ex his adductis verbis perſpicimus, quod hæc lex de variis agat, nempe de monetarum falſariis, ponderum, ſigillorum tranſculptoribus, Scribis falſas tabellas concinnantibus; quare de ſingulis agere conſtituimus.

II. Quod ad monetarum falſarios attinet, obſervandum, quod monetam veteres incorruptam conſervare voluerint; Hinc monetam ut Deam coluerunt, imò, ut *Arnobius lib. 3. contr. Gentes* refert, velut *Numen Maximum*. Extant quoque nummi longè plurimi, in quibus MONETA DEA ſtans erecta, manu ſiniſtra cornu Amaltheæ, dextra vero bilancem tenens, fere in habitum æquitatis figuratur: vid. *celeberr. Chriſtophor. Wagenſeil. Patron. noſtr. magn. de re monetali veter. Rom. diſſert. pag. m. 8. edit. Altorff.* 1691. Cæterum DEÆ MONETÆ in tertia urbis regione à L. Furio

rio

rio Camillo Dictatore, devictis Auruncis, templum fuit conditum in area montis Capitolini, ubi quondam M. Manlii domus fuerat. Docet omnem rem *Ovid. 6. Faſt.*

*Arce quoque in ſumma Junoni templa Monetæ*
*Ex voto memorant facta, Camille, tuo.*
*Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam*
*A Capitolino reppulit arma Jove.*

III. Cum igitur Moneta ſancta haberetur; itaque nefas eſſe duxerunt, ut injuria ipſi inferatur; Hinc eos graviſſima pœna dignos judicabant, qui monetam adulterabant. Romanos ex probo argento nummos ſeu pecuniam per initia cudiſſe, ex *Plinio* conſtat l. XXXIII. c. 3. ubi tradit etiam, quod *Livius Druſus* in Tribunatu plebis octavam partem æris argento miſcuit primus, inde cœpit argenti puritas corrumpi. Et eodem libro inquit: *Miſcuit denario Triumvir Antonius ferrum, miſcuit æri falſæ monetæ, cum ſit juſtum* 84. *libris ſignari.* Vid. celeb. Wagenſeil. diſſ. de re monetali vet. Rom. pag. m. 45. Quo loco docet *Budæus lib.* 3. *de Aſſe* legendum *miſcentur æra*, & rectè. Libripendens ſeu magiſter probandi nummos vocatur Juriſperitis *Zygoſtates l. ultima C. de ponder. lib.* 11. *l.* 2. *eod. tit. in C. Theodo.* Inde Zygoſtaſii munus *in l.* 1. *de frument. Urb. Alexand. in C. Theod. & in C. Juſtiniani.* Cum ergò apud Romanos ſerius ars probandi monetam cœperit, quæritur: utrum etiam poſt *Marium Gratidianum* fuerint in

Ro-

Romana veteri Republ. conſtituti examinatores monetarum, quod incertum videtur. Seculo quarto fuiſſe per ſingulas civitates conſtitutos ponderatores auri, conſtat quidem ex *Juliani Auguſti l. 2. Cod. de ponderatoribus & auri illatione*, hiſce verbis: *Quotiens de qualitate ſolidorum orta fuerit dubitatio, placet quem ſermo Græcus Zygoſtatam appellat, per ſingulas civitates conſtitutum, qui pro ſua fide atque induſtria neque fallat neque fallatur, contentionem dirimere.* Utrum verò ille Zygoſtates fuerit etiam exacte peritus probandi latentia ſolidorum vitia, haut facile dixeris, inquit. B. *Herman. Conringius in diſſert. de re nummar. edit. Helmſt.* 1662. §. 46. addit tamen, per tamen eſt veriſimile. Cum autem multi adulterantes monetam, uti ex *Dione* & aliis conſtat, reperirentur. Quare oportuit, ut publicæ utilitati conſuleretur & lege animadverteretur in eos, qui nummos adulterinos cuderent vel expenderent.

IV. Unde tradit *Plinius* legem latam à *Mario Gratidiano*, ut ludus, i.e. Schola Romæ inſtitueretur probandi numiſmatis, ut ægre fallere poſſent adulteratores nummi. Igitur ars facta denarios probandi tam jucunda lege plebi, ut *Mario Gratidiano* vicatim totas ſtatuas dicaverit, mirumque, in hac artium ſola vitia diſcuntur, & falſum denarii ſpectatur exemplar, pluribus veris denariis adulterinus emitur. Ita in Imperio noſtro Germanico ejuſ-

ejuſmodi perſonæ conſtitutæ ſunt, quæ accuratam nummorum probationem ſciant, ne adulterini intrudantur. Optandum igitur eſſet, ut melior haberetur cura in Republica ne tot falſarii monetarum reperirentur. Hoc etenim crimen enorme & exoſum eſſe oſtendit D. *Carpzov. in pract. crim. p.* 1. *q.* 42. *n.* 13. Hinc quoque meretur acerbiſſimam pœnam, quæ varia apud veteres fuit. Lege *Cornelia* cavetur, eum, qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos conflaverit, *falſi crimine* teneri, ex *Ulpian. in l. Corn. l.* 9. *ad l. Corn. de falſ. mon.* Tenetur & l. Julia *peculatus* qui in aurum argenti æriſve publici quid indiderit vel immiſcuerit, & ut quid cudatur, immiſceatur, fecerit ſciens, dolo malo, quo id pejus fiat. Adulteratur materia tincturis, quæ imitantur veri metalli colorem, minuitur raſione.

V. *Conſtantinus* Cæſar eos, qui nummos falſa fuſione formaverint, flammarum exuſtionibus vult mancipari, eorumque bona fiſco Cæſareo addici ex *l.* 1. *&* 2. *de falſ. mon. C.* Quam & *Mediolani*, *Veronæ* obtinere ex *Jacobo Menoch. de arbitr. judic. quæſt. lib.* 2. *cent.* 4. *caſ.* 316. *n.* 14. probat D *Carpzov. in pract. crim. p.* 1. *q.* 42. *n.* 15. *fol. m.* 261. qui n. 16. rationes addit, ob quas falſa moneta dici poſſit, quæ evolvantur. Extant porrò præclaræ in hanc rem Conſtitutiones Cæſareæ etiam in

Codice Juſtinianæo *Tit. de falſa moneta.* Severiſſima eſt *Conſtantini Maximi*, ſimul verò & Reipubl. omni utiliſſima, præſertim ſi vitium nonnihil inoleverit. Recitabimus ex lege 2. quædam ejus verba, quo ad illud exemplum prudens Legislator poſſit Reipublicæ ſuæ eò promptius conſulere: Si quis nummos falſa fuſione formaverit, univerſas ejus facultates fiſco noſtro præcipimus addici. *In monetis enim tantummodo noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentari volumus: cujus obnoxii, majeſtatis crimen committunt: & præmio accuſatoribus propoſito, quicunque ſolidorum adulter poterit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione ſummota, FLAMMARVM EXVSTIONIBVS mancipetur.* Ex his elici poſſe videtur, quod pœnam hanc ignis Imperator non ſimpliciter omnibus monetæ adulteratoribus dictaverit, ſed tantum aureorum ſeu ſolidorum. *Auguſtus* ſane in *Codice Theodoſ. l. 1. tit. 21. lib. 9.* aliis falſariis longe mitiores pœnas decernit. Verba ſunt: *Quicunque adulterina fecerit numiſmata, pœnam pro diſcretione ſexus & conditionis ſuæ diverſitate, ſuſtineat: hoc eſt, ut ſi decurio, vel decurionis ſit filius, exterminatus genitali ſolo ad quamcunque in longinquo poſitam civitatem, ſub perpetui exilii conditione, mittatur, ac ſuper facultatibus ejus ad noſtram ſcientiam referatur. Si plebejus, ut rebus amiſſis perpetuæ damnationi dedatur: ſi ſervilis conditionis, ultimo*

*ſup-*

*ſupplicio ſubjugetur*. Valent. Theodoſius & Arcad. falſæ monetæ reos majeſtatis crimine & pœna teneri ſtatuerunt, *l. falſa moneta*, 8. *de falſ. monet. eod. tit*. Jubent etiam Cæſares Valent. Val. & Gratian. *l. ſolita*, *l*. 7. eodem, quicquid ex auro hominum privatorum in monetis publicis inveniretur figuratum, largitionibus vindicari Imperatoriis.

VI. Simpliciter tamen omnis monetæ adulteratoribus in Germania Ordinatione criminali Caroli V. art. 3. pœna ignis dicta eſt. **Welche falſche muntze machen / zeichen etc. Die ſollen nach gewohnheit auch ſatzung der rechte mit dem feuer vom leben zum todte geſtraffet werden.** Eadem pœna afficiuntur in Saxonia adulterantes materiam monetæ: vid. *Carpzov. practic. crim. p*. 1. *q*. 42. *n*. 24. 25. 26. 27. *fol. m*. 262. In Hiſpania, ceu legere eſt *Partitar. l*. 7. *t*. 7. *l*. 9. In Gallia adulteratores in univerſum in aqua cum oleo fervente ſive bulliente ſuffocantur, quod ex *Julio Claro* notat *D. Gothofred. ad l*. 2. *cod. de falſ. monet*. Apud Suecos, qui moneta adulterina alios deceperunt, ita ſunt puniti, ut monetam illi colliquarent, & in eam falſarios vivos immitterent: vel in ſublimiori trabe circumligatos per totum corpus moneta undique ſplendente his gulam frangerent. *Olaus lib*. 6. *cap*. 13.

VII. Non ſolùm autem *Romani* Legiſlatores, ſed & alii falſam monetam deteſtati ſunt.

Sic *Demoſthenes* contra *Timocr.* ait, *Solonem* ſtatuiſſe, non minus ſevere à Judicibus ſummis eſſe plectendum, qui leges corrupiſſet, & adulterinas induxiſſet, quàm qui numiſmata adulteraſſet. Idem circa finem Orationis *in Leptinem* inquit: *Miror eos, qui monetam adulterant, apud vos capite mulctari, Athenienſes, illis verò, qui totam civitatem adulterinam & infidam reddunt, dicendi fieri poteſtatem. Laërt. in vit. Diogen.* ſcribit: *Diogenes Cynicus cognominatus feſtimenſarii filius Synopæus fuit, ambo cum deprehenſi fuiſſent de civili moneta æs adulteraſſe, exilio damnati ſunt.* Græci tamen plerumque illis, qui monetam publicam adulteraſſent, pœnam mortis ſtatuebant. *Demoſthen. in Orat. in Leptinem:* Τοῖς μὲν τὸ νόμισμα διαφθείρουσι, θάνατος παρ' ὑμῖν ἐστιν ἡ ζημία. Qui monetam quidem adulterant, mortis pœna apud vos afficiuntur. Nihil apud illos de comburendis adulterantibus monetam dicitur, ſed tantum morte plectuntur, qui hoc crimen committunt.

VIII. Mitius tamen multò alibi in falſarios iſtos animadverſum eſt: Apud *Ægyptios* enim, juxta legem noſtram adductam, falſæ monetæ convictis non niſi manus præcidebantur. Eadem plane pœna placuit poſt *Juſtinianum* pleriſque Cæſarum *Conſtantinopolitanorum*; ceu legere eſt ex *Harmenopuli Prochito leg. l. 6. tit.* 14. §. 1. & apud *Michaëlem Attaliotam in Synopſi Juris tit.* 86. Imò & in ipſis Baſilicis *l* 60. *tit.*

60.

60. & Eclogia *Baſilicor.* 44. *tit.* 60. *cap.* 1. Placuit etiam *Ludovico Pio Francorum Auguſto Regi*; quod legitur apud *Anſegiſum l.* 4. *capitular. tit.* 33. In *Africam* quoque tranſiiſſe hoc genus pœnæ, liquet ex eo, quod in *deſcriptione Feſſæ l.* 3. memorat *Leo Africanus* de *Feſſanis Alchymiſtis*: Scopum eorum fere eſſe ſolere, adulterinam cudere monetam; quare horum maximam partem *Feſſæ* manu truncata reperiri. Lex *Longobardorum* à *Rotario* Rege lata huic ferè ſimilis *lib. de legib.* 1. *Longobard. tit. de* iis, qui *falſ. monet. fec. l.* 1. & 2. Si quis aurum ſine juſſione Regis figuraverit, aut monetam confinxerit, manus ei incidatur. Vid. *Petr. Fabr. Semeſtr. lib.* 3. *pag. m.* 297.

*De Monetarum circumciſoribus.*

IX. Hactenus vidimus adulterantes monetas illorumque pœnas, nunc pedem movemus ad illarum circumciſores, qui apud Romanos capite plectebantur, quia etiam hoc crimen gravem meretur animadverſionem. Quod hoc ſcelus Romanis capitale fuerit, liquet ex *l.* 8. *ff. de lege Cornelia de falſ. monet.* Severa quoque Lex eſt Conſtantini Maximi *in Cod. Theodoſ. l. un. §. quod ille tit.* 22. *lib.* 9. *Qui menſuram circuli exterioris adraſerit, ut ponderis minuat quantitatem, vel figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſubjecerit, capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera.* Confer. *Marcell. Donat. dilucidat.*

*in Flav. Vopiſc. pag. m.* 1044. Sed legibus *Wiſigothorum* mitius plectuntur. Conſtitutum ſcil. fuit *lib.* VII. *tit.* 6. l. 2. ut, ſi ſervus circumcidiſſet, raſiſſet, &c. ei dextra manus amputaretur; ſi ingenuus, dives mediam bonorum partem fiſco deberet, ſi ſine bonis, in ſervitutem à Rege daretur ei, cui elegerit Rex. Conſtantinopolitanis Imperatoribus poſt *Juſtinianum* etiam hîc placuit manus amputatio, ceu videre eſt *Baſilic. l.* 60. *tit.* 41. *c.* 8. & *Michaelis Attaliotæ Synopſ. Jur. tit.* 72. & fortaſſis hæc pœna huic ſceleri ſufficiebat tum puniendo, cum cavendo.

*De pondera & ſigilla mutantibus.*

X. Cum verò hæc verba duplicem involvant ſenſum; meritò diſquiritur an de ponderibus monetarum in ſpecie; an verò de quibuſvis ponderibus in genere ſint intelligenda? Nihil itaque prohiberet, ut hanc legem de omnibus ponderibus intelligamus. Nam ponderum mutationes ab ipſo Deo in Scriptura ſacra ſeveriſſime prohibentur. Evolvamus illam & quidem caput XIX. *Levit.* 36. v. Trutinæ juſtæ, PONDERA JVSTA ſint vobis, & *Deut.* XXV. 15. Pondus integrum & juſtum eſto tibi. Anglus reddit: *a perfect ſtone and a juſt ſhalt thou have.* Pondera juſta ex mente Rabbinor. referente *Cl. Hottinger. in Jur. Hebræor. lege* CCXXIII. *pag. m.* 333. ſunt, quæ exquiſite juſtificata ſunt, ut omnis remotio rapinæ

pinæ & fraudis à filiis hominum abſit; quare non faciunt pondera ex ſtanno vel plumbo, aut reliquis metallis, quia rubiginem contrahunt & deficiunt, ſed parant è lapide, vitro, &c. vid. *Maimon. tract. de furt. cap.* VIII. *ſect.* 4. Conf. Angl. *Henric. Ainsworth. Comment. in Levit.* XIX. *fol. m.* 120. abominatio Deo eſt hoc crimen. In hoc ipſum facinus invehuntur etiam ſeculares. *Modeſtin. ff. ad l. Cornel. de Falſar. l. penult.* ita determinat: *Si venditor menſuras corruperit, dolove malo fraudem fecerit, quanti ea res eſt, ejus dupli condemnatur; Decretoque* D. Hadriani *præceptum eſt, in inſulam eos relegari, qui pondera aut menſuras falſaſſent.* Si igitur gravis pœna à Deo & Magiſtratu in illos conſtituta, qui pondera communia falſant, quanto gravius erit ſcelus & gravior pœna, ſi monetæ pondera minuantur, de quibus cl. *Pfeiffer. in antiquit. Græc. lib.* 2. *cap.* XLVIII. *pag. m.* 334. 335. In hos *Ægyptii* ſtatuebant hanc pœnam, ut ambæ manus abſcindantur.

XI. Eadem pœna ab ipſis afficiebantur *Sigillorum tranſculptores* & falſas Syngraphas proferentes. Antiquos eodem modo, quo & noſtrates in ſignandis claudendiſque literis & inſtrumentis & aliis, uſos fuiſſe SIGILLIS conſtat ex hiſtoriarum monumentis. Unde ſignum & ſignatum pro *Sigillo* & *Sigillato* Latinis accipitur, quod probat *Cicer. in Catil.* inquiens: *Tum oſtendi Lentulo tabulas, & quæſi-*

*vi, cognoſceretque ſignum.* Et ad Brut. *Literæ omnes integris ſignis Prætoribus traduntur.* Quare SIGILLVM dictum à *Sigillo*, h. e. parva ſtatua, qualemque in ſigillis obſignandis literis dicatis obſervamus, uti ex Jure obſervavit *Marcell. Donat. in dilucid. ad Sueton. pag. m.* 452. Non ergo ſimplex & nuda ſigillum nota erat, ſed ornamentis & ſymbolis ornatum. *Romani* & alii populi, inter quos etiam *Ægyptios* referimus, ſoliti erant, notas & ſymbola quædam imprimere annulis, quæ quidem *Ulpianus* χαρακτῆρα h. e. formam inſculptamque ſigni imaginem vocat in *l. ad teſtium* 22. §. *ſignum ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Juſtinianus ſculptura *Inſtit. de teſtam. ordinand.* Sic Plinius ſcribit *lib.* x. *epiſt.* 78. ſe uſum fuiſſe quadriga in annulo, memoriæque prodidit *Capitolinus* in *Clodio Albino*, *Commodum* ſignaſſe literas ſuas ſigno *Amazonio*, & quæ alia fuerunt ſymbola. Vid. *Franciſ. Juretus in not. ad Symmach. lib.* 2. *cap.* 12. *Rittershuſ. ad Plin. lib.* 10. *epiſt.* 75. *Kirchman.* de annul. præprimis *Matth. Zimmermanni Florileg. Philolog.* pag. m. 120. ubi fuſe de varia apud Antiquos & multiplici in annulis Principum & virorum illuſtrium cælatura in annulis ſignatoriis agit.

XII. Cum igitur Reges & Principes annuli ſignatorii maximam curam haberent, & nulli traderent, niſi Regi & Principi amiciſſimo, uti probari hoc poteſt ex more Ægyptio-

tiorum, quem Rex Ægypti obſervabat, qui *Joſepho* annulum tradidit, Geneſ. XLI. Ecce, inquit, conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus, &c. *Joſeph. lib.* 2. *Antiq. Jud. c.* 41. Teſtantur hoc quoque alia exempla, quæ videnda apud *Kirchmann*. Imò adeo, inquit *Fortunat. Licet. in libro raro de annulis Antiquor. c.* XV. magni habebatur Regium cuſtodire annulum, ut ab antiquiſſimo tempore id cenſeretur poſt Principem in publica gubernatione præſtare cæteris. Sic & à priſcis Francorum Regibus non tradebatur niſi viris, qui gratia apud ipſos pollerent, quique probatæ fidei eſſent, & participes arcanorum. *Aimon. lib.* 1. *c.* 13. De hoc ritu evolvatur *Curt. de Alexandro lib.* X. *c.* VII. *Sueton. in Tiber. cap.* 73. *Valer. Maxim. lib.* III. *c.* 5. Cur autem hoc fecerint, ratio eſt, ut fraudes & pericula, quas ſibi annulo ſignatorio parare poſſent, vitarent. Videatur *Tit. Liv. Decad.* 3. *lib.* VII. de *Marcelli* annulo, quem Hannibal acceperat, è quo multa damna deinde orta. Legatur etiam *Curt. lib.* VII. *c.* 3.

XIII. Sæpe etiam accidit, ut ab illis, qui ſigilla tranſculpunt, magnum damnum alicui inferatur. Signare enim his & obſignare literas poſſunt falſis & adulterinis ſigillis, quibus multoties legentes fallunt & fefellerunt. Refert *Paulus Æmilius lib.* VII. hæc verba:

Emiſſi clam ex urbe nonnulli, pari atque ille erat calliditate, cum paulo longius proceſſiſſent, SVBORDINARVNT quoſdam alios non minori audacia aſtuque, qui lugentium habitu ex Suevia cum literis, quas ipſi conſcripſerant, adulterinoque ANNVLO ſignarant, venire ſe dicerent, ſimulatiſque cum lacrymis falſo nunciarent, quod CONRADVS OBIISSET. Falſis literis & falſis ſigillis utuntur falſarii mendicantes, qui pœna falſi tenentur, cum illis qui SIGILLA aliave SIGNA ADVLTERINA faciunt, uti apparet ex verbis artic. 122. *Ordin. Crimin. Carol.* **Wer falſche ſiegel machet.**

XIV. His annumerantur *Scribæ*, qui literas falſas ſcribunt & ſyngraphas. Hi ſpeciem falſi in ſcriptis publicis & privatis, quod variis modis accidit, veluti ſcripta falſa componendo, minutando, in mundum redigendo, item Inſtrumenta, Regiſtra, Rationes, Acta, Libellos, Conteſtationes, Cautiones, Chirographa, Epiſtolas ſcienter & dolo malo in fraudem alterius lædendo, corrumpendo, mutando, abjiciendo, demendo, adendo, delendo, abolendo, falsè ſubſcribendo, falſa ſigilla appendendo, aut doloſe aliorum chirographa efficté imitando. Hi cum reliquis præcedentibus eadem pœna afficiebantur apud Ægyptios, qui crimen falſi ſive in moneta & nummis, ſive in ſcripturis judicialibus geſtis & inſtru-

men-

mentis, ſive in ponderibus & menſuris admiſſum; & alius cujuſcunque generis, præciſione utriuſque manus vindicabant; idque ideò, ut quibus quiſque corporis partibus adverſus leges commiſiſſet, iis coërcitus ac punitus, perpetuam incommoditatem experiretur, ſuique ſupplicii exemplo alios admonitos à ſimilibus delictis perpetrandis averteret. Has Ægyptias leges probavit haut dubie India; in qua falſos teſtes olim extremis digitis, quibus falſum teſtimonium ſcripto conſignatum eſſet, decurtari ſolitos, è Megaſthene apud Strabonem addiſcimus. Ægyptiorum enim & Perſarum moribus receptum, ut propter falſum decurtationes membrorum fierent. Conf. *Petr. Fabr. Semeſtr. lib.* 3. *pag. m.* 286. Vid. *lib.* 6. *Baſilic.* tit. 41. *de falſariis fol.* 242. Falſario igitur præcidi ſolitæ manus, vel ideò quod ipſarum quodam quaſi miniſterio atque inſtrumento, delictum admiſſum foret, vel præcipuè id hominis membrum plecti pœnaſque pendere debuerit, vel ea propter ut non ulterius tale admitterent quippiam. Hodie autem ejuſmodi homines arbitrariis pœnis mulctantur, de quibus videndus *D. Carpzov. in pract. Crimin. p.* 2. *q.* 93. *fol.* 373 *ſeq.*

LEX

## LEX DVODECIMA. QVI MVLIEREM LIBERAM VIOLASSET, EI VIRILIA EXSECABANTVR, QVIA VNO CRIMINE TRIA HAVD PARVA SCELERA COMPLEXVS ESSET.

I. Ita hanc legem recenſuit *Athanaſius Kircherus in Oedipo Ægypt. Syntagm. 2. fol. 121. edit. Rom.* cui adjungatur *Hugo Robinſon. in Annal. Mundi.* Verùm *Diodorus Siculus Bibliothec. hiſt. lib. 1. pag. m.* 69. his verbis retulit: *De ſexu muliebri acerbas habebant leges, nam qui vim ingenuæ attuliſſet, huic genitalia precidi jubebant: unius enim facinoris enormitate tria maxima flagitia, injuriam, corruptelam, liberorum confuſionem perpetrari judicabant.* Per mulierem liberam intelligit Lex *Virginem*, quæ adhuc à matrimonio libera & ſine viro eſt. Hæc ſi à quodam violaretur, tunc magnam pœnam ipſi infligebant. In Jure crimen hoc *Stuprum* vocatur, quod cum omni muliere libera committitur, quæ neque uxoris, neque concubinæ loco habetur *l. 3. D. de concubin. l. ſtuprum* 34. *D. de adulter.* Proprie autem *ſtuprum eſt virginum illicita defloratio.* Vid. Carpzov. *p. 2 q.* 68.

II. Crimen hoc à variis gentibus variis pœnis punitum legimus, ita ut quædam harum acer-

acerbius, quædam mitius hoc vindicarent. Apud Hebræos ſtupri pœna olim fuit VIVICOMBURIUM, uti cl. *Selden. de Synedr. Hebræor lib.* 1. *cap.* 2. *pag. m.* 9. *aſſerit* ita ſcribens: Et *ſtupri* pœnam *Vivicomburii*, quam irrogaturus erat Juda *Thamaræ*, ajunt Magiſtrorum aliqui (Simeon Ben Jochai in Gem. Babyl. ad tit. Abotazar. c. 2. fol. 36. Scheph. Juchaſ. fol. 8. a) iique pervetuſti, in poſteros manaſſe à בית דינו של שם *Præfectura juridica Semi.* Teſtatur hoc etiam *libr.* VII. *c.* 5. *de jure Natur. & Gent. juxta Diſcipl. Hebr. pag. m.* 851. Neceſſario, inquit, ideo ſequitur ex Jure Civili ſive à *Juda* Principe, ſive aliter ſuperinducto, coitum ſive ejuſmodi innuptæ ante interdictum fuiſſe; adeoque pœnam adjectam, UT FOEMINA QUÆLIBET ILLICITI COITUS REA COMBURERETUR. Vid. R. *Bechai in Biur Bereſith. fol.* 51. *col.* 2. Nec deſunt alii Hebræorum, qui nolint ultimum ſupplicium combuſtione factum, ſed volunt, intelligi hîc quod frons inureretur לסימן שהיא זונה *ſigno*, quo eam ſcortum eſſe indicaretur. Has pœnas Hebræorum contra ſtupratores acerbiſſimas putamus, & fere omnium populorum pœnas ſuperant. Nam quid crudelius, quàm *vivicomburium*?

III. Ab Hebræis ad Græcos nos conferimus, & pœnas in ſtuprum conſtitutas videbimus. Marcellin. in Hermogenem, Νόμ☉, τ̃

βια-

βιασάμενον κόρην Ἀθήνησι, χιλίας διδόναι. *Lex eſt, qui virginem Athenis violaverit, uti MILLE DRACHMAS ſolvat.* Et iiſdem fere verbis *Sopater, in diviſ. Quaſt.* Νόμος, τὸν βιασάμενον κόρην, διδόναι χιλίας: *Lex eſt, ut qui virginem violaverit DRACHMIS MILLE luat.* Hinc intelligenda illa Syriani in Hermogenem. Νόμος, τὸν ἐξιόντα στρατηγὸν εἰς πόλεμον ἔχοι θυγατέρα, παρατίθεσθαι τῷ συστρατηγῷ τὴν θυγατέρα. Λαβὼν ἐκεῖνος ἐβιάσατο. Ἐπανελθὼν ὁ στρατηγὸς, κρίνει αὐτὸν δημοσίων ἀδικημάτων, ὁ δὲ, ὡς βιασάμενος τὰς χιλίας διδόναι. *Lex erat, ut Dux exercitus ad bellum exiturus, ſi filiam haberet, eam apud collegam deponeret, ille, acceptam violavit. Dux reverſus agit contra eum de publica injuria, ille verò, veluti qui violaſſet, DRACHMAS MILLE deberi contendit.* Qui in panegyri virginem aliquam violaſſet, DRACHMAS DECIES MILLE dabat. *Sopater* in Diviſ. quæſt. Ὁ νόμος δίδοσθαι κελεύει τὰς μυρίας, ἐὰν βιάσηται κόρην ἐν πανηγύρει: *Lex jubet dare DECIES MILLE DRACHMAS, ſi quis virginem in panegyri violaverit.* Ita intelligendus *Sulpitius Victor in Inſtitut. Orat.* Qui virginem vitiaverit, det decem millia. Ea ſumma faciebat centum minas.

IV. Et licet pecuniaria pœna affecti fuiſſent Stupratores, quæ ſatis magna; attamen etiam iſti, qui virginem violaſſent, capite plectebantur. Ita Auctor proble. *Rhet. cap.* XVII. in

in corpore libero mortem ſtatuit: in ſervili talenta centum. Νόμου κελεύοντος, τὸν μὲν ἐλευθέραν βιασάμενον, ἀποθνήσκειν· τὸν δὲ δούλην, ἑκατὸν διδόναι τάλαντα. *Lege jubente, qui liberam violaret, ut capite plecteretur: qui ſervam, ut centum talentis mulctaretur.* Ita etiam alia lex *capitis* pœnam ſtatuebat. *Hermogenes, Partit. Sect.* IV. Ἡ βιασθεῖσα, ἢ γάμον, ἢ θάνατον αἱρείσθω τοῦ βιασαμένου. *Violata, aut nuptias, aut mortem ejus, qui vim intulit, eligat.* Marcellinus ad eum locum. Violavit aliquis duas virgines, eodem tempore. Cum lex eſſet, ut ejus, qui vim intuliſſet, matrimonium, aut mortem, optaret; illa quidem, nuptias eligit; iſta, mortem. Poſtmodum autem cum multi delinquerent, ſola mortis pœna conſtituta fuit. Nam lex erat hæc: *Quæ violata* eſt, aut *ejus, qui vim intulit, nuptias ſine dote, aut mortem eligat.* Multis nihilominus vim inferentibus, fert quis legem, ut ſublato ſine dote matrimonio, CAPITE, qui violaſſent, punirentur. Elucet hinc quod ii, qui virginem violaſſent, apud Græcos mortem pati coacti fuerint.

V. Et licet etiam de Jure Civili ſtupri pœna capitalis & ultimum ſupplicium mereatur juxta *l.* 1. §. *qui puero* 2. *in med. ff. de extraordin. crim.* Quem tamen textum *Bartol.* ibid. reſtringit ad eum ſolummodo caſum, ubi aliqua violentia intervenerit. Vid. *Carpzov. pract. crim.*

*part.*

*part.* 2. *q.* 68. *fol. m.* 141. Nihilominus tamen mitior pœna apud ipſos uſitata, & aſſeritur, quod pœna ſtupri de Jure Civili non capitalis ſit, ſed in ſtupratoribus honeſtis publicationem dimidiæ partis bonorum; in vilioris verò & humilioris conditionis hominibus, corporis coërcitionem, puta fuſtigationem cum relegatione. Vid. cit. *Carpzov.* Mitius adhuc eſt jus divinum, quod ſtupratorem mulierem ſtupratam *dotare* & *ducere* jubet, uti idem eodem loco aſſerit. Verum vix calculum addere poſſumus verbis celeberrimi aliàs viri, quibus affirmat *ſtupratorem ſtupratam dotare* & *ducere* debere, cum hæc Rabbinorum ſcriptis contrarientur. Nam *Henric. Ainsworth. in Comment. ad Exod. cap.* XXII. *ex Maimon. Naarah betul. cap.* 1. *ſect.* 3. refert, quod ſi noluerit ducere, *they compelled him not, but he gave the mulct, and went his way. If he married her, then he paid not this mulct.* non compulerint ipſum, ſed mulctam dabat, & abibat. Si duceret eam, *tunc mulctam non ſolvebat.* Deinde hæ leges à celeb. *Carpzov.* adductæ non de una eademque ſtuprata agunt. Nam una loquitur de virgine ad concubitum bonis verbis pellecta; altera de virgine vi ad ſtuprum coacta, de qua egit cl. *Hottinger. in jure Hebr. leg.* LVII. *pag. m.* 67. Priorem poterat dotare & in matrimonium ducere; ſed ſi nollet, mulctam dabat: poſteriorem non poterat dimittere.

Conf.

Conf. *Selden. de Uxor. Ebraic. lib.* 1. *c.* XVI.

VI. Miſſis his ad legem Ægyptiorum progredimur, quæ ſeveram pœnam in *Stupratores* ſtatuit: *Qui mulierem liberam violaſſet, illi virilia exſecabantur.* Putabant enim hi, æquum eſſe, ut id membrum pœnæ ſubjiciatur, per quod aliquis facinus aut flagitium patrarit, quod apud exteras gentes in multis delictis obſervatum legimus; ut ſacrilego, impio in parentem, quem verberandi cauſa eſſet auſus attingere, manus præciderentur. Vid. *Cujac. lib.* 7. *Obſervat. cap.* 16. ut falſario nervi digitorum inciderentur, *Senec. declam.* 8. *lib.* 2. *&* *declam.* 4. *lib.* 9. Adulteris ac mœchis raptoribus certè fœminarum apud Ægyptios membrum abſcinderent, atque, ut *Horatii* verbis utamur, *cauda ſalax ferro demeretur. Ægyptiis* & *Perſis* mutilationem pœnariam membrorum corporis humani uſitatam fuiſſe atque amputationem è *Seneca lib.* 3. de Ira, cap. XX. ubi de naribus toti populo reciſis à Rege Perſarum, *Diodoro Siculo*, *Tacito lib.* 12. *Curtio lib.* v. *Theodoret. lib.* v. *hiſtor. Eccleſ. c.* 39. & aliis diſcimus. Et quamvis nulla talis pœna membrorum amputationis legibus Romanis prodita, ſed de ſervis & iis ad barbaros tranſeuntibus; poſtea tamen ea parte corporis humani patrari cœpit. Huc alluſiſſe *Auſon. epigr.* XVII. reperimus; ſic fere canentem:

*At tu, qui dominus, peccantia membra coërce;*

*Injuſtum falſos excruciare reos:*
*Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere dextram,*
*Aut profugos ferri pondere necte pedes.*

Eundem morem de plectendo membro Martialis obſervat, quando ita:

*Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?*
*Nil hac peccatum eſt parte, marite, tibi.*
*Stulte, quid egiſti? nihil hic tua perdidit uxor,*
*Cum ſit ſalva ſibi —— Deiphobi.*

Belle verò Poëta: Mœchus enim deprehenſus vaſa illa, quæ honeſte nominari nequeunt, ſoliti mariti abſcindere ulciſcendæ injuriæ gratia, plura qui de hac pœna legere vult, evolvat *Petr. Fabr. Semeſt. lib.* III. Invaluit etiam apud Septentrionales populos illa ſtupri pœna, ut nares aureſque præciderentur. Magis ignominioſa erat pœna, quam Oſtrogothi adulteris imponebant: nam auctore *Olao Magno lib.* XIV. fœmina virilibus maſculi fune aut loro ligatis ipſum trahere per medium forum & extra urbem cogebatur. Rationes adduntur; quia uno crimine tria haut parva ſcelera complexus eſſet, quæ ex *Diodoro Siculo* §. I. adduximus, & quæ hodienum in Jure Civili adducuntur. Vid. diſſertat. *Bernhardi* Schultzen Prof. Rinthel. non mœchaber. in qua hæc dilucidantur.

LEX

## LEX DECIMA TERTIA.

## IN ADVLTERIO SPONTANEO DEPREHENSVS VIRGIS CÆDEBATVR AD MILLE PLAGAS; MVLIER NASO MVTILABATVR, QVO, quo DEDECORE VVLTVS MACVLATVS, EA MVLTARETVR PARTE, QVA MAXIME FACIES EXORNANTVR.

I. Hanc legem de adulterio ſpontaneo ita recenſet *Athan. Kircherus in Oedip. Ægypt. Syntag.* 2. *fol. m.* 121. Hanc legem hauſit ex *Diodoro Siculo*, qui pag. m. 69. hanc ita recenſet: *Si perſuaſu adulterium eſſet commiſſum, viro mille plagæ fuſtium, mulieri narium detruncatio irrogabatur: nam mulieri ad vetitas libidines ſeſe exornanti, præcipua venuſtatis lenocinia adimenda cenſebant.* Quantum autem in oculis Dei grave ſit adulterium vel ex duobus locis Scripturæ colligi poteſt: unus ex mundi *Geneſ. cap.* 20: ubi in mortis diſcrimen venit Abimelech cum omni domo ſua, eo quod uxorem *Abrahami* detinuiſſet, quamvis eam non cognoviſſet. Ipſe enim Deus mentem ſuam declarat ob hanc rem dicens: *Tu es vir mortis*, Angl. reddit, *Thou art a dead man*, hoc eſt, uti benè Anglus Henricus *Ainsworth. comment. in h. l. fol. m.* 78. explicat: *thou shalt ſurely dye:* & indicare

dicare vult,quod ob hoc crimen morte dignus ſit. Alter locus ex libro *Numer.* v. *v.* 19. dum fuit datum ſacrificium à Deo, ad exploranda occulta adulteria per aquam Zelotypiæ. Vide *celeber. Wagenſeil. in hunc locum erudite commentantem. Confer. Acoluth. de aquis amaris, Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. fol.* 30. 3[na] Fuit & hoc crimen Ethnicis communi feritæ conſenſu viſum improbiſſimum: cum propter prolis incertitudinem, tum etiam propter individuæ conjunctionis ſchiſma. Ea de cauſa & apud omnes ferè prohibitum & punitum. Sicuti etiam probrum naturâ viſum eſt adulterium, *Ulpian. in l. probrum l.* 42. *de verbo. ſignificat. li.* 50. *P. tit.* 16. & probrum eſſe docet doctè *Philo Judæus lib. de decalog.* 24. *lib. de ſpecial. legib.* Propterea *Ariſtoteles lib.* VII. *politic. c.* 16. ipſum prohibet, punirique jubet.

II. Quamvis autem punitum fuerit *levius* alicubi, alibi autem durius, ſemper tamen aliquo modo in optima politia vindicatum reperimus. Quare operæ pretium eſſe duximus, ut pœnas has populorum recenſeamus. Et quidem quod ad Hebræos attinet, illi ex mandato Dei ſevere in hoc crimen animadverterunt. Mandatum Dei de adulterio extat Levit. XX. 10. *Vir qui adulteravit cum uxore alicujus omninò morte plectitor adulter ipſe & adultera.* Ita etiam *Deut.* XXII. 22. Et licet genus mortis non addatur; attamen ultimo ſupplicio afficieban-

bantur vel *lapidibus*, vel *ſtrangulatione*, uti eleganter ſæpe citatus *Ainsworthius comment. in Levit.* XX. *fol. m.* 122. explicat. Ita quoque Phariſæi apud *Johannem cap.* VIII. 4. 5. ad Chriſtum adulteram adducentes, dicunt: Hæc mulier deprehenſa eſt in ipſo facto, cum mœcharetur. In Lege verò Moſes præcepit, ut tales lapidentur; ſed *Levit.* XX. 10. & *Deut.* XXII. 22. nihil de pœna exprimitur, & ubi lex nihil exprimebat, accipiebatur mitiſſima, i. e. *Strangulatio*, quam & ſpecialiter in Adulteræ ſupplicio agnoſcunt Hebræorum Magiſtri, uti ex *Maimonid. in Sanhedr. cap.* XV. *ſect.* 13. refert *Ainsworthius fol. m.* 123. qui ita: *Howbeit the latter Phariſees ſay the adulterers death was STRANGLING.* Vid. cl. Hottinger. Jus Hebr. leg. XXXV. pag. m. 49. ubi hæc refert: *In Sanhedrin explicatur, adulterum (i. e. maritum) cum alterius conjuge congredientem utrumque ſuſpendi.* Et hæc pœna erat inter mitiores, Lapidatio autem inter atrociores, de qua *annot. ad Sigon. de Republ. Hebr.* evolvendæ. Quo igitur jure hoc graviore ſupplicio affectæ adulteræ? Ajunt quidam, cum *Levit.* XX. initio & fine capitis mentio fiat Lapidationis, etiam in medio poſita eodem trahenda. Sed eodem capite quædam incendio puniuntur; itaque hæc ratio non procedit. Alii dicunt, cum Deuteronomio ſequentibus verbis ſponſæ corruptæ imponatur pœna Lapidationis, ex pari

aut majori ratione debere eam & Adulteræ aptari. Sed objici poteſt, in ſponſam gravius animadverſum, quia in cuſtodia mariti non erat, ſicut & gravius punitur furtum de paſcuo, quàm de ovili.

III. Accedimus Hebræis tradentibus, ubi mortis pœna Lege exprimitur, non item mortis genus, ibi à Synedrio pro ratione temporum genera pœnarum definita, ut graviores exigerentur ubi occurrendum erat gliſcenti exemplo. Quare cum crebra fuiſſent adulteria ante exilium Babylonicum, ubi in exilio Judæis conceſſum fuit in ſuos jus puniendi, etiam morte, lapidatæ ſunt adulteræ, quod docemur *Ezech.* XVI. 40. collato *commate* 38. ad quæ loca etiam *Kimchius* notavit, nonnullis temporibus lapidatas adulteras. Et eo factum, ut qui de *Suſanna* hiſtoriam ſcripſit, falſo adulterii inſimulatores lege talionis lapidatos dixerit. Similiter & *Hyrcani* ſequentibuſque temporibus in Judæa putem *lapidatas adulteras* ob criminis frequentiam. Vid. *Grot. ad Johan. c.* 8. Cognoſcimus hinc adulterium apud Hebræos morte dignum ſemper fuiſſe; ita ut etiam pœna in quibuſdam acerbior fuerit, uti refert *Maimon. in Iſur-biah, cap.* 3. inquiens: *Si filia fuerit Sacerdotis, illa comburitur, huic verò gula frangitur.*

IV. Apud Græcos adulterium variis modis fuit punitum, mox morte, mox pecunia, mox

mox alia re, uti jam teſtimoniis probabimus. Primus itaque auctor vindicandi adulterii apud Athenienſes *Draco* memoratur; ante Draconis enim tempora non licebat, uti *Libanius* indicat, *Tom.* I. *Declam.* XXXIII. cujus verba Græca Latine recitabimus: *Et cum animo reputans comperiebam, eum, qui leges civitati condiderat, partim quædam pulcrè diviſiſſe, & virtutes, quatenus oportuit, honoraſſe; partim cum iis, qui cætera quidem deliquiſſent, non recte egiſſe; adulteris verò iſtis, minime, quod æquum erat, intuliſſe.* Quod autem *Draco* primus auctor adulterii vindicandi *Pauſanias in Bœotic.* refert his verbis: *Primum verò hunc Hyettum de adulterio pœnas ſumpſiſſe conſtat, ac poſtea Draco cum Athenienſibus dediſſet ſanctiones ſuas, ex legibus ejus, quas in magiſtratu ſcripſit, conſtitit, tum quarum rerum aliarum impunitas foret, tum & de adultero pœnas ſumi libere poſſe.*

V. Poſt hunc *Solon* etiam capitis damnavit, uti Plutarchus in ejus vita aſſerit: Μοιχὸν ἀνελεῖν τῷ λαβόντι δέδωκε: *Adulterum interficere deprehendenti permiſit.* Lex ejus apud Lyſiam ita ſonat: Ἐὰν τις μοιχὸν λάβῃ ἐν ἔργῳ, ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα, ὅτι ἂν βούληται χρῆσθαι. h. e. *Si quis adulterum in ipſa turpitudine deprehenderit, de eo quicquid libuerit, ſtatuito.* Syrianus in Comment. *Adulterum quiſpiam juxta legem de adulteris interfecit.* Et *Sopater*: Νόμος, τὸν μοιχὸν τεθνάναι. *Lex eſt, adulterum occidi.* Itaque

conceſſa erat cædes, ſed qui nollet interficere, pecunia mulctare poterat, uti Auctor Problem. Rhetor. cap. XX. Νόμος, τὸν μοιχὸν χρήματα διδόναι, ἢ παραυτίκα ἀποθνήσκειν: *Lex eſt, adulterum* pecuniam dare, aut ſtatim mori. Et videre eſt apud *Lyſiam in Orat. de cæde adulteri Eratoſthenis:* cujus Græca Latine reddita à cl. *Meurſio* ita ſonant: Et ille fatebatur quidem injuriam, ac ſupplicabat, ne ſe interficerem, ſed pecuniam exigerem: ego verò inquiebam, non me occiſurum ipſum, verum civitatis legem, quam tranſgreſſus, voluptate inferiorem exiſtimaſſet, ac flagitium iſtiuſmodi in uxorem, liberoſque etiam meos, admittere maluiſſet, quàm obedientem legibus ſe præbere. Hoc etiam confirmat *Hermogenes de Invent. lib.* II. *c.* I. Τοὺς μοιχοὺς χρήματα ἀποτιννῦναι (ὁ νόμος κελεύει) Adulteros pecuniam pendere (lex jubet.) Et hæc pœna non tantum in uxoribus violatis, verum etiam in concubinis, conſtituta eſt, uti *Lyſias* refert *in eadem Orat*.

VI. Nec occidere duntaxat, aut pecunia mulctare; ſed & excæcare licuit. Auctor Problem. Rhet. cap. LVIII. Νόμος ἐκέλευε τὸν μοιχὸν καταλαμβανόμενον τυφλοῦσθαι ἀκρίτως. Lex jubebat adulterum deprehenſum excæcare indemnatum. Aſſerit & hoc *Curius Fortunatianus Rhet. Schol. lib.* I. Adulteros deprehenſos licet excæcare. De oculis ob libidinis perpetrationem

nem erutis, cui non illa *Zaleuci* Legiſlatoris Locrenſium nota Lex, atque adeò juſtitiæ conjuncta in filium pietas memorabilis, qui enim juſſerat, ut adultero deprehenſo, vel (ſicut ipſe malim ab interprete redditum) adulterii convicto uterque oculus evelleretur, cum eveniſſet ut adulterii reus teneretur filius: nolens quod ſemel ſancitum à ſe fuerat, irritum fieri pater, pro altero filii oculo ipſe ſuum veluti vicarium & pœnæ ſuccedaneum tradidit; ne utique prorſus excæcaretur juvenis. Qua de re *Ælian. lib.* XIII. *var. hiſtor. cap.* XXIV. Quin & *ſtigma* inurere permittebatur, uti *Hermogenes*, part. Stat. Sect. XIII. ſcribit: Stigma adultero inurere licet. Similiter *Syrianus:* Νόμου ὄντος, τὸ μοιχὸν ςίζειν, cum lex ſit, mœchum ſtigmate notare. Marcellinus: Lex eſt, adulterum ſtigmate notare. Vid. plur. cl. *Johann. Meurſ. Them. Attic. lib.* 1. *pag. m.* 11.

VII. Aliquando etiam ridicule adulterium puniebatur, niſi mores & temporum diſtinguantur occaſiones. Apud *Cumæos* quippe mulieres in adulterio deprehenſæ, in forum deduci ſolitæ, ut ibi lapidi inſidentes, ab omnibus conſpici & deſpici poſſent: demum aſino impoſitæ, per omnem urbem vectabantur, rurſuſque ad lapidem deducebantur, ut refert *Plutarch. in Probl.* & Alciatus *lib.* 2. *parergon. jur. cap.* 47. In *Cathalania Hiſpaniæ* & aliis multis locis, vir per uxoris adulterium infectus,

 ſol-

ſolvit Domino temporali XL. ſolidos. *Pariſiis*, imponebatur aſino, facie ab auribus aſini averſa, & ſic per totam civitatem, aſinum trahente uxore, ducebatur, præcone clamante, eum, qui idem crimen admiſiſſet, ſimiliter punitum iri, teſte *Guilielmo de monte Laduno*. Et *Zabarel. Clementin. cum ex communic. de ſenten.* Et Guilielm. Benedict. *in repetitio. c. Raymunt. in 2. parte in verb. cuidam Petro tradiderant numero* 62. jus canonum adulteram privat dote & parafernalibus, quæ adjudicat marito. Apud Græcos adulteri pauperis pœna erat παρατιλμὸς & ῥαφανίδωσις. Erat autem παρατιλμὸς, quando deprehenſus adulter prehenderetur, eique nates calido cinere depilarentur: ῥαφανίδωσις verò, quando raphani prægrandes in podicem ipſi immitterentur. Cujus utpote ridiculæ pœnæ meminit *Ariſtophan. in Pluto & Nubibus*. Aliquando etiam vice raphanorum *mugiles* per poſticum impingebantur, *Catullo* teſte. Conf. *Juvenal. Satyr.* X.

*—— necat hic ferro, ſecat ille cruentis*
*Verberibus, quoſdam mœchos & mugilis intrat.*

VIII. Apud Germanos adulterii pœna præſens & maritis permiſſa erat, quo factum eſt, ut terror certiſſimi ſupplicii cunctas à flagitio deterreret detineretque. *Tacitus de morib. German.* de Germanis hæc refert: *Pauciſſima*, inquit, *in tàm numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſam crinibus,* nuda-

*nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicata enim pudicitiæ nulla venia; non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit.* Ergò pœna adulterii maritis permiſſa, qui arbitrio ſuo ſcelus uxoris & perfidiam vindicabant: quæ poteſtas poſteris quoque temporibus maritis conceſſa fuit. Lex Longobardica *lib.* I. *Tit.* XXXIII. *leg.* II. Si quis cum uxore ſua liberum aut ſervum fornicantem invenerit, poteſtatem habeat, eos ambos occidendi; & ſi eos occiderit, non requirantur. Similiter Lex *Frothonis Daniæ* Regis apud *Saxon. Grammat. lib.* V. Adulteros à veris conjugibus corporum parte ſpoliandos conſtituit, quo minus continentia flagitiis elideretur. Sed apud Germanos antiquiſſimos pœna adulterii duplex erat, ut Tacitus ſcribit: primum enim accisis crinibus nudatam domo expellebant: inde per omnem vicum verbere agebant. Conſentit his lex poſtera *Liutprandi* Regis Longobardorum in fœminas violentas: *Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipſas mulieres, & faciat eas DECALVARE ET FVSTARE per vicos vicinantes ipſius loci.* Paulò aliam & magis ſævam adulterii pœnam tribuit priſcis *Saxonibus Bonifacius* Archiepiſcopus in epiſtola ad *Ethelbelaum Anglorum* Regem: *In antiqua*, inquit, *Saxonia, ubi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo, vel maritata ſub conjuge ſit adul-*

ter ata

*terata, manu propria ſtrangulatam cremant, & ſuper foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt: aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtæ matronæ & cultellis pungunt, & de villa in villam ſic miſſæ occurrunt novæ flagellatrices, donec interimant.* Cujus moris veſtigia apud *Weſtphalos*, nobiliſſimam *Saxonum* partem, ſua adhuc ætate extitiſſe ſcribit *Werner. Rolefink de ſitu & moribus Weſtphal. lib.* I. *cap.* VII. ubi ſcribit: *Si inferioris ſtatus ſive puella, ſive famula, in ſtuprum aut adulterium corruiſſet, ſecretò eam virgis & quidem acerrimè flagellabant, conviciis placentiſque ex putredinibus ovorum factis eos reficientes, ſic eas in amaritudinem adduxerant, ut aut mori ſolatium foret, aut poſt primum partum nullas deinceps proles gignerent.*

IX. Hi etiam populi Adulterium ſeveriſſime puniverunt. Athenienſes jubebant adulteros ab equis trahi ac rapi per plateas, donec dilaniati ac mortui jacerent, ut ſcribit *Suidas*, interdum ipſos interficiebant aſcia vel gladio, ut notat *Heliodor. lib.* I. *Æthiop. Parthi* nulla delicta gravius adulteriis vindicant, ut ait *Juſtin. in Trogo lib.* 41. De Julio Cæſare & de Auguſto narrat Suetonius in ipſorum vita; Libertos ob adulterium capite damnarunt. Conſtantinus lege ſancivit, ut contaminans lectum conjugalem, elueret hanc maculam ſanguine & ultimo ſupplicio. Exemplum hujus ſententiæ affert *Ammian. lib.* 28. Adulteræ

*Ægy-*

*Ægyptiaca* à *Seſoſtre* Rege concremantur, uti refert *Diodor. Sicul. lib.* I. *cap.* LIX. Nolumus autem prolixiores eſſe in recenſendis pœnis adulterorum adulterarumque apud Romanos, Græcos, Barbaros uſitatis; ſed Lectores remittimus ad viros doctiſſimos ſequentes, qui diligenter has collegerunt. *Andr. Tiraquell. in legib. connub.* 13. *num.* 6. 7. & 8. 23. *Boër. deciſ.* 297. 298. & 338. *Cujac. lib.* 20. *Obſerv. ad Novell. Juſt. Barnab. Briſſon. ad l. Jul. de adulteriis, Jul. Clar. Sentent. lib.* 5. *§. adulterium, verſ.* 7. *poſt Didac. Covar. ad* 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 7. *num.* 16. & 17. *Bod. cap.* 3. *lib.* I. *de Republ. & qui alii ſunt, quorum catalogum recenſet Petr. Faber lib.* 3. *Semeſtr.*

X. Quidam porrò populi fuerunt, qui Adulterium *ignominia* coërcere voluerunt; unde lex *Gortynæ* civitatis Græciæ, ut adulter comprehenſus & criminis convictus, LANA coronaretur: qua coronatione argueretur ejus mollities & mulieroſitas, addita mulcta quinquaginta ſtaterum, ſumma infamia & privatione adminiſtrationis Reipubl. ut ſcribit *Ælian. lib.* 12. Et hoc loco etiam *Ægyptii* adulterium lege corrigere voluerunt; quare adulterum ad MILLE PLAGAS CÆDEBANT, ET MVLIER NASO MVTILABATVR. In hac lege ſane pœna viri gravior videtur, quàm mulieris, & cum his convenit Jus Juſtinianeum Civile, ubi adulteri gladio ple-

plectuntur;adulteræ autem virgis cæſæ & tonſæ in monaſterium detruduntur. At quænam diverſitatis hujus ratio ſit ; & quare mulieres adulteræ mitius puniantur, quas tamen leges Moſaicæ æque mortis ſupplicio puniri jubent, *Levit.* XX. 10. *Deut.* XXII. 21. *Daniel.* XIII. *Ezech.* XVI. 38. expeditum non eſt. Nam *Conſtantini*, *Theodoſii*, *Valentiniani* & aliorum *Juſtiniano* vetuſtiorum Principum temporibus ultimo gladii ſupplicio adulteræ puniebantur. Sane ſub *Theodoſio* & *Valentiniano Impp.* præſtituta omnibus nuptiarum ſacrilegis gladii pœna eſt, etiam fœminis, eamque adulterii pœnam tum fuiſſe uſurpatam cognoſcimus ex eo quod ab *Ammiano Marcellino lib.* 28. ſcriptum legamus : *Tunc Cethegus Senator adulterii reus delatus cervice periit abſciſſa.* Et aliquantò poſt, *Nec minus fœminæ quoque calamitatum participes fuêre ſimilium : nam ex hoc quoque ſexu peremptæ ſunt Originis altæ complures adulteriorum flagitiis obnoxiæ vel ſtuprorum ; inter quas notiores fuêre Claritas & Flaviana.*

XI. Rationes plures adduxit D. *Carpzov. in pract. crim. part.* 2. *q.* 53. *n.* 11. 12. *ſeqq. fol. m.* 20. 21. inter quas etiam retulit hanc Ægyptiorum legem, ubi adulter virgis ad centum plagas cædebatur, vel virilia amputabantur, mulieri adulteræ autem naſus abſcindebatur, quod plerumque ab illis fieri ſolebat, qui adulterium leve peccatum exiſtimarunt. Tandem-

demque concludit: Quicquid ſit, licet fortaſſe veram rationem mitigationis pœnæ adulterii quoad fœminas aſſequi non valeamus, certum tamen eſt, in crimine adulterii de jure communi uxores adulteras non pœna mortis, ſed mitiori ſupplicio afficiendas eſſe, quod ſcire nobis ſufficiat. Attamen aliquam rationem ſubeſſe putamus. Nam conſtat, virum perfectioris ingenii atque ad fallendum & ſeducendum aptiorem muliere; hinc non negamus majori pœna dignum eſſe.

XII. Cum autem adulterium in uxore gravius habitum, quàm in marito, uti innuit *Euripides in Electr. act.* IV. *v.* 286. ubi *Clytamneſtra* de adulterio ita loquitur:

*Stulta igitur mulieres, non aliter dico.*
*Quando enim pravo animi vir peccat impetu*
*Domeſticum faſtidiens torum, mulier virum imitatur,*
*Et alium ſibi creans amicum quem amet:*
*Demum nobis probrum eminet:*
*Horum autem auctores viri non male audiunt.*

Unde fuerunt aliqui, qui mulierem adulteram gravius peccare, quàm virum adulterum exiſtiment, utpote quia ſobolem alterius viro ſupponat: tum quia ſubdita viro ſit, nihilque ſit mulieribus tàm proprium, quàm pudor: aliis tamen diverſum ſentientibus, tum quia vir à muliere debitum ſubducat, & in alio vaſe diſſeminet. Tùm etiam quod conſtantioris

ris debeat eſſe naturæ, mulieribus natura exiſtentibus mollioribus & fragilioribus. Quorum tamen opiniones, in eo quod & vir & mulier peccet uterque, amplectamur, cætera contemnimus. Nam quod pertinet ad torum, utrumque & virum & uxorem pares cenſemus, quia quicquid in caſtitate matrimoniali præcipitur viris, hæc conſequenter redundant in fœminas & contra. Quemadmodum enim vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed uxor: ita nec uxor, ſed vir poteſtatem habet ſui, 1. *Cor.* VII. & ideò utrumque puniendum graviter exiſtimamus, cum leges etiam id jubeant, & pari pœna jure divino adulter cum adultera necaretur.

XIII. Nulla nos cogit neceſſitas, ut à Scripturæ Sacræ præceptis diſcedamus, & adulteras mitiori pœna plectendas ſtatuamus, quàm adulteros. Melius hac in re Leo Philoſophus ſtatuit, quamvis etiam mitigari velit pœnam adulterii, quando ita *Novell.* 32. ſtatuit: At verò nos fere ad benigniora trahimur, quam illi conſtituerunt pœnam, ut nempe naſus deteſtandis illis ambobus abſcindatur, hanc & nos ſtatuimus, atque hæc quidem nefarii illius ſceleris eſto pœna. Verum an truncatio naſi ſufficiens adulterii ſit pœna, meritò dubitamus. Sed ad legem Ægyptiorum, quâ viri adulteri fuſtibus vel virgis cædebantur, quæ infamia ſatis magna erat, & ipſa morte cru-

crudelior. Quid enim viro acerbius contingere poteſt, quàm tot ſuſtinere plagas? Et quid turpius mulieribus, quàm amputatis naſis incedere. Et licet nares etiam viris abſcinderentur adulteris, attamen interdum ſolis uxoribus, quæ id in ſe probri admiſiſſent, ut quæ pars corporis ad formæ elegantiam ſummopere neceſſaria videretur, ea, quoniam intemperantiæ ſubſerviiſſet legibus prohibitæ, adimeretur: vel ad ipſam deformitatem, quam pœnæ loco eſſe Jurisperiti non ignorant. Confer. *Petr. Fabr. Semeſtr. lib.* 3. *pag. m.* 292.

## LEX DECIMA QVARTA.

## SI QVIS PECVNIIS MVTVO ACCEPTIS ABSQVE SYNGRAPHO SE DEBERE NEGET INTERPOSITO JVRAMENTO A DEBITO ABSOLVATVR.

*Diodor. Sicul. lib.* 1. *Bibliothec.*

I. Leges has de commerciis à Bocchoride latas aſſerunt Scriptores. Vid. *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntagm.* 2. *fol. m.* 122. *edit. Rom. Robinſon. in annal. Mund. edit. Londin.* Legislator hujus legis vocatur *Bocchoris*, Saites, Ægyptiorum Rex, qui anno Mundi 3237. regnaſſe dicitur. Vid. *Eduard. Simſon. Chron. Cathol. part.* 3. *fol. m.* 42. *edit. Oxon.* De hoc *Diodor. Sicul. lib.* 1. *Bibliothec.* hæc refert: *Regnum ſuſcepit Bocchoris, corpore exili & deſpecto,*

N ſed

*ſed ingenio & prudentia ante ſe regibus præcellens.* Plutarchus in vit. Demetr. judicium Bocchoris commemorat. Celebratur Bocchoris, tum ob prudentiam, tum ob juſtitiam, ita ut cognomen τοῦ Σοφοῦ meruerit. *Diodor. lib.* 1. Legiſlator erat prudens & ſolers. Ille fertur, Conſtituta de regio munere & de exacto Contractuum modo præſcripſiſſe. In judiciis adeò perſpicax fuit, ut multa ejus Decreta propter excellentiam ad noſtra uſque (Diodori) tempora memorentur. Inter quæ etiam hoc edictum; quod Diodorus ita recenſet: Προστάττουσι τοὺς μὲν ἀσυγγράφως δανεισαμένους, ἂν μὴ φάσκουσιν ὀφείλειν, ὀμόσαντας ἀπολύεσθαι τοῦ δανείου, i. e. *Mandatur, ut ſi quis, pecuniis mutuo acceptis abſque Syngrapho, ſe debere neget, interpoſito juramento, abſolvatur à debito.* Quam legem uberius declarare volumus.

II. In hac lege examinanda vox δανεισαμένους, mutuo dantes. *Theophilus* & cæteri omnes Græci Juris interpretes, MUTUUM Latinorum per δάνειον reddunt. Et rectè id quidem. Quod ſine uſura mutuum datur ita proprie dicendum. Qui enim putant δανείζειν eſſe fœnore dare, falſi ſunt. Nihil quippe eſt aliud, quàm mutuum dare, & quidem ſine uſuris. Id enim olim mutuum quod ſine uſura dabatur. Imò δανείζειν eſt ſimpliciter dare, largiri egenti, commodare. Nec aliter ea voce uſi ſunt LXX. Interpretes, quam pro ſimplici

plici abſque uſuris mutui datione, ut Exod. XXII. *Si mutuum dederis fratri tuo egeno, qui apud te eſt, non impones ipſi uſuram.* Ἐὰν ἢ ἀργύριον ἐκδανείσῃς τῷ ἀδελφῷ τῷ πενιχρῷ τῷ παρὰ σοὶ, οὐκ ἔσῃ αὐτὸν κατεπείγων, οὐκ ἐπιθήσεις αὐτῷ τόκον. Ergò ἐκδανείζειν eſt mutuum ſine uſura dare. Auctor libr. Siracid. hoc verbum ita ſemper accipit de mutui datione citra uſuras, ut *cap.* XXIX. Ita etiam *Luc. cap.* VI. accipitur. Confer. *Chriſtophor. Binder. libell. de uſur. edit. Tubing.* 1616. qui mutui tres modos recenſet, quorum primus eſt, ut gratis abſque ſpe emergentis lucri ſublevemus proximi neceſſitatem operibus miſericordiæ. Secundus eſt, ut detur mutuum, ſic tamen ut proximus teneatur, conſtituto termino, loco & tempore ſatisfacere, tantumque reddere, quantum accepit. Tertius modus in mutuo eſt, ut ſi debitor non ſit ſolvendo, non evertas ejus ſubſtantiam.

III. Cum igitur inter mutuò dantem & mutuò accipientem pactum eſſet, ut pecunia mutuò data redderetur, & facile fieri poſſet, ut Debitor Creditori pecuniam negaret; hinc ſub teſtibus pecunia credebatur mutua aut chirographo aut ſyngrapha, & ita cavebatur de reddenda pecunia. Probabile eſt veteres non aliter pecuniam credidiſſe, quàm pluribus teſtibus præſentibus, aut ſub cautione chirographæ vel ſyngraphæ. Si ſcripto cave-

 retur,

retur, non opus erat teſtibus, niſi qui ſyngrapham ſubſcriptione ſua firmaret. Differebant autem ſyngraphæ à chirographis vel eo diſcrimine, quod non ſicut in chirographis debitor ipſe fatebatur ſe accepiſſe pecuniam; ſed exponebatur in ea, quid inter utrumque conveniſſet de ſorte aliiſque debiti conditionibus, item de pignoribus & hypothecis, ſub quibus pecunia eſſet credita, eo plane modo, quo narratio hiſtorica narrari ſolet. Unde & συγγραφὴ nuncupata, quo nomine Græcis vocabatur hiſtoriæ conſcriptio. Hinc συγγραφεῖς hiſtoriarum ſcriptores. Ita igitur formabatur: LVCIVS TITIVS MVTVO DEDIT CAJO SEJO DECEM MILLIA NVMMVM NVMERATA DE DOMO, VEL DATA EX SCRIPTVRA MENSÆ, SVB VSVRIS CENTESIMIS, EA CONDITIONE, VT POST NAVIGATIONEM PERACTAM, QVAM CAJVS SEJVS IN AFRICAM DESTINAT, VBI NAVIS SALVA IN PORTVM REDIERIT, EA SVMMA SIBI CVM VSVRIS DE QVIBVS CONVENIT RESTITVATVR, SVSCEPTO IN SE PERICVLO TOTIVS NAVIGATIONIS. QVOD ITA FIERI PROMISIT CAJVS SEJVS. Neutrius manu ſcripta, ſed utriuſque manu ſignata, utrique contrahentium ſervanda dabatur ſyngrapha. Et inde fortaſſe dicta ſyngra-

grapha ſcriptura inter duos, quæ & duobus ſervanda daretur.

IV. Quatuor autem modis pecunia mutuo danda ante *Juſtinianum* in creditum ibat, deque ea reddenda creditori cavebatur: Per *ſtipulationem* ſine ſcriptura, per tabulas nomine facto, per chirographi cautionem, & per SYNGRAPHAM. Quos quatuor modos his verbis *Seneca lib.* 3. *de Benefic.* comprehendit. *Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem quàm ſpectare malunt. Adhibentur ab utraque parte teſtes: ille per tabulas plurium nomina interpoſitis parariis facit: ille non eſt interrogatione contentus, niſi reum ſua manu tenuit.* Teſtes adhibiti tantum in *ſyngraphis* qui ſignarent. Paulò infra idem: *O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem! Annulis noſtris plus quàm animis creditur. In quid iſti viri ornati adhibiti ſunt? In quid imprimunt ſigna? nempe ne ille neget accepiſſe ſe quod accepit. Hos incorruptos viros & vindices veritatis exiſtimas? At his ipſis ſtatim non aliter pecuniæ committentur.* Signatores lib. II. vocavit: *Quidam nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari, nec chirographum dare.*

V. Teſtes iſti ſignaturi non adhibebantur chirographo, ut ex hoc loco conſtat & ex *leg. unic. Cod. Theodoſ.* ſi certum petatur de chirographis. Privata enim ſcriptura manu debitoris facta, quæ teſtium ſubſcriptione non

firmari ſolebat ante Juſtiniani conſtitutionem. Sed nec tabulis,per quas nomina fiebant, Signatores adhiberi ſoliti, quibus tabulis fides habebatur ſine teſtibus.

VI. Reſtat ut ad ſolas *Syngraphas* advocati fuerint. Quod verum eſt. Cautiones & *Syngraphas* alio loco ſimul commemoravit idem *Seneca lib. 2. de Benef.* ubi cautiones pro chirographis accipi demonſtrat cl. *Claud. Salmaſ. in lib. de Uſur. edit. Lugd. Batav. pag. m.* 146. Qua forma concipi ſolerent *Syngrapha* §. 3. docuimus. Hæ ſubſcribebantur tribus teſtibus, ut ex *Syngrapha Androclis* de pecunia trajectitia videre eſt apud Demoſthen. in ea πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν. Hæ Syngraphæ tabellionis etiam manu conſcribi ſolitæ, utrique parti ſervandæ dabantur,uti paulo ante dictum. *Obligationes* eas vulgo vocitamus, quia debitorem obligant, & actio ex his in eum datur, ſtatimque ad ſolvendum compellitur, vel pignoribus captis, quod non licet in ſimplici chirographo. Nam prius ſcripturam ſuam in judicio agnoſcere debet aut inficiari. Si agnoſcat, ad ſolutionem compelletur. Si inficiabitur, & probet creditor, condemnabitur; ſi non probet, liberabitur. In chirographo locum etiam habuit exceptio non numeratæ pecuniæ, ut paſſim videre eſt in Cod. Tit. *de non numerata pecunia*, quod tamen in *Syngrapha* potius debuit, ex ejus definitione quam A-

ſco-

ſconius attulit. Cum enim chirographo accepta tantum pecunia caveretur, numeratam etiam oportuit. Atque ita olim, poſtea, ut videtur, æque chirographis non numerata caveri cœpit, ut *Syngraphis*. Non tamen hoc inde explicandum.

VII. Quemadmodum enim *Apocha*, quæ chirographo reſpondet, nulla erat, niſi probaretur ſolutio facta per numerationem, ita chirographum, ſi probaretur non facta numeratio, nihil valebat. Quippe quod non conſiſteret, niſi numerata pecunia eſſet. Nam hoc de eſſentia chirographi, ut in eo tantum, quæ geſta ſunt, ut ait *Aſconius*, ſcribi ſoleant. Si igitur in eo ſcribatur pecunia numerata, quæ non numerata ſit, vitioſum inſtrumentum & nullum. At in *Syngrapha* aliud fuit. Etiam in hac contra fidem veritatis pactio interpoſita obligabat debitorem, & quamvis non numerata pecunia pro numerata tamen ut haberetur, inter contrahentes convenerat, cui conventioni ſtandum erat. Vid. plur. diſſerent. *Jacob. Ravardi Comment. de diverſ. reg. jur. pag. m.* 94. 95. *edit. Antverp.* 1568. *Johan. Coraſ. Miſcell. jur. lib.* 1. *cap.* 18. *pag.* 61. *edit. Colon. Agripp.* 1581. Teſtes in ea ſubſignabant tres, & utrique parti ſervanda tradebatur.

VIII. Has Syngraphas non ſolùm dediſſe eos qui commercia inter ſe habebant, ſed etiam alios, imò amatores conſtat. Hujus



ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

ſcitum & elegans ſyngraphi inter adoleſcentem amicam, & lenam conſcripti exemplum à *Barnaba Briſſon. lib.* VI. *de formul. pag. m.* 557. quod plurimas leges continet. Ejus ipſa verba, quæ ita incipiunt,

DIABOLVS NICLAVCI FILIVS CLERETÆ
LENÆ DEDIT DONO ARGENTI VIGINTI MINAS,

citato loco legenda. Si quis igitur aliquid mutuo dediſſet, vel mutuo accepiſſet, tunc ſemper ſyngraphæ tradebantur, ut utraque pars falli non poſſet. Hinc recte *Bocchoris* ſtatuit, quod, *ſi quis pecuniis mutuo acceptis abſque ſyngrapho ſe debere negaret, juramento res decidatur, quo præſtito à debito abſolvatur.* Voluit enim prudens Legiſlator hac lege indicare, ut ſyngraphæ dentur, ne alter, qui pecuniam abſque ſyngrapho mutuo accepit, anſam habeat negandi illam. Ut autem lis & controverſia inter has perſonas dirimatur, ſanxit, ut pars negans ſe juramento purgaret, quo facto, abſolvebatur à debito, & rationes addit *Diodorus* loco citato, quod nullus tam maledicti animi eſſet, qui juramentum ob hanc rem falſum deponere velit; itaque addit: primum ideò ut jurisjurandi religionem magnificientes Deum revereantur: cum enim manifeſtum ſit, quod ſæpius dejerans fidei jacturam faciat, unusquiſque, ne hoc emo-

emolumeuto privetur, maximopere cavebit, ne ad juramentum deveniatur. Hinc *Metellus* Roman. maluit urbe ingrate cedere & exul à Patria vivere, quam pejerando Deorum vindictam, omnium bonorum indignationem & ipſius veritatis cenſuram incurrere, ſapienter admodum cenſens peccare pravorum eſſe ingeniorum, recte facere ſine periculo vulgarium, at egregios animos à juſto honeſtoque nullis aut præmiis aut minis dimoveri. Vid. *Appian. de bell. civ. l.* 1. *Grot. de J. B. & P. l.* 2. *c.* 13. §. 3. *Supplem. Liv. Freinsh. l.* 69. *c.* 14. Deinde & hoc animum Legislator *Bocchoris* induxit, ſi fidem in vitæ integritate totam conſtituat, cunctos ad morum probitatem invitatum iri, ne tanquam fide indigni infamentur. Iniquum præterea judicabant, quibus citra juramentum fides habita eſſet, his de eodem contractu juratis fidem denegari.

## LEX DECIMA QVINTA.

## AT PER INTERVENTVM SYNGRAPHÆ FOENERANTES, VLTRA DVPLVM PER VSVRAM AVGERE SORTEM VETABAT.

Diodor. lib. 1. Bibliothec.

I. Aliam legem præſcripſit prudens Legislator Bocchoris injuſtis fœneratoribus, qui ſumma injuria uſuram extorquebant à debitoribus, quando ita edicit: *Τοὺς δὲ μετὰ συγγραφῆς δανεί-*

 *σαν-*

συγγραφῆς ἐκώλυε διὰ τῶν τόκων τὸ κεφάλαιον, πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. i. e. *At per interventum ſyngrapha fœnerantes, ultra duplum per uſuram augere ſortem vetabat.* Qui igitur pecuniam dabant ad intereſſe, fœnus quærebant, & uſuras. Mutuum duplicis generis eſt. Unum, quod propriè mutuum vocatur, quod ſine uſuris datur, quale Arabes vocant عوض à commutatione. Et inde verbum عوّض *mutuum dare.* Alterum cum uſuris, quod eſt *fœnus* Arabibus قرض Et verbum اقرض *fœnerari* ab arroſione vel detractione & abraſione. Prius illud δάνειον ἄτοκον Græcis dicitur; alterum δάνειον ἐπίτοκον vel ἔντοκον. Hoc loco non prius, ſed poſterius intelligitur, quippe τόκοι mercedes ſunt, quas aliquis ſolvit pro uſu pecuniæ, quam ab alio accepit utendam mutuo. Ut autem ſciamus quid fœnus ſit, hanc damus definitionem: *Fœnus eſt mutui datio cum uſurarum ſtipulatione legitimarum pro credita rei qualitate & contrahentium conditione.*

II. Hinc gratuitum opponitur fœnori apud *Sueton. in Jul. Cæſar. Omnibus* gratuito, aut levi fœnore obſtrictis. Et paſſim in Jure *pecunia fœnebris* dicitur, & opponi ſolet *gratuitæ pecuniæ.* Mentio fit *fœnebris leg.* IX. *D. de uſuris: gratuitæ* multis locis, ut leg. VIII. D. in quibus cauſis & alibi. Vetabat autem lex ut *fœnerantes ultra duplum per uſuram augerent ſortem.* Ori-

Origo autem prima uſurarum & cauſa fuiſſe videtur, ut qui pecuniam accepiſſet mutuam, niſi intra certum tempus redderet, pro moræ pretio uſuras ejus penderet. Hujuſmodi mutuæ pecuniæ ſtipulationes ſub pœna uſurarum, niſi ad diem ſors ſolveretur, conceptæ, ita frequentes in Jure occurrunt, ut nihil frequenquentius ſit. Hinc genus uſurarum pœnalium à quibuſdam legulejis inventum. Sed etſi non in ſtipulatum expreſſe ita deductæ ſint, tacitè tamen omnis uſura, moræ ſolutionis pœna eſt. Uſuræ enim, ut dixit *Paulus*, in libro ſingulari de uſura leg. XVII. D. eodem, non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſolventium infliguntur. Atque inde certe *fœnus* ex Græco ποῖνος, quod idem eſt ac ποινὴ, dictum videri, præter alias rationes, maxime debet. Sed & ποινὴ etiam pro mercede, quo ſenſu etiam uſura eſt pœna, i. e. merces pro uſu.

III. Priuſquam autem ad alia progrediamur, uſuræ nomina Hebraica, Arabica & Græca examinabimus. Arabes uſuræ quoddam genus vocant نسيئة quæ ex mora ſolutionis pretii debetur pro re vendita, à verbo نسا & انسا quod eſt, non præſenti pecunia vendere, ſed tempore dato ad ſolvendum, & pacto interuſurio medii temporis. Hebræis נשה quod *oblivviſci* inter alia ſignificat. Quorum

rum enim obliti ſumus , & in longum pro-trahuntur tempus , nec præſentia ſe noſtræ memoriæ ſiſtunt. Ita ergò iidem Arabes in jure ſuo diſtinguunt نقد & نسيئة *Neſia* & *Nood.* Hoc poſterius enim repræſentatum in venditione pretium denotat, prius illud dilatam ejus ſolutionem , ſed uſura conſtituta. Quam uſuram ideò diſcernunt à فضل , quæ proprie eſt uſura ex mutui cauſa. Græcis Latiniſque non licet eſſe tam diſertis: nam illi nullum habent vocabulum præter τόκον, quo utitur etiam Legislator *Bocchoris ;* iſti quoque nullum præter *uſuram.* Sic appellant *Latini* quicquid acceſſionis vice debetur ex quacunque cauſa.

IV. De Græca voce τόκος nunc videndum. Græci, ut notum eſt, uſuram τόκον appellant, quæ propriè γένεσιν & generationem ſignificat, ſive partum. Quod igitur nummus nummum parit, ut pater ſibi ſimiles liberos, inde uſura τόκος, vel potius à multiplicatione: nam & generatio multiplicatio eſt. Hinc & Chaldæis uſura רביתא. Arabes ab eadem cauſa & origine ربا, & Hebræi ſimiliter תרבית. vid. *Chriſtoph. Binder. libell. de uſuris pag. m.* 13. *edit. Tubing.* 1616. LXX. Interpret. πλεονασμὸν verterunt, atque uſuram vocarunt , ut in *Levit.* XXV. Καὶ ἐπὶ πλεονασμῷ οὐ δώσεις, pro ἐπὶ τόκῳ. Et alibi paſſim, ubi in Hebræo eſt תרבית.

La-

Latini quoque acceſſionem pro *uſura* dicunt. Ut *leg.* XII. *Cod. de uſuris:* Frumenti vel hordei mutuo dati acceſſio etiam ex nudo pacto præſtanda eſt. Et ſane quid aliud eſt uſura, quàm creſcentis in dies ſingulos pecuniæ acceſſio? ut dicitur in *lege* XVIII. *Cod. Theod.* de luſtrali conlatione. Quo ſenſu & alibi in Jure aliquoties occurrit nomen acceſſionis. Alii vocant *incrementum*, ut *Iſidor.* qui uſuram incrementum eſſe definit, ut Arabes فضل i. e. acceſſionem, exceſſum & additamentum. In eodem tamen Ezechiele πλεονασμὸς & τόκος diſtinguuntur: Τόκον καὶ πλεονασμὸν οὐκ ἔλαβε, ubi πλεονασμὸς in Hebræo eſt תרבית *Tarbith*; τόκος verò eſt נשך *Neſchech.* Similiter & in Levitico cap. XXV. & XXXVI. Οὐ λήψῃ παρ' αὐτοῦ τόκον οὐδὲ πλεονασμόν, legitur quidem in Græco nunc, οὐδὲ ἐπὶ πλήθει, ſed in Hebræo eſt תרבית. Et paulò poſt πλεονασμὸν reddit, quod in Hebræo eſt מרבית *Marbith*, quod eſt ab eadem origine.

V. Ex quibus patet πλεονασμὸν & τόκον eſſe ſynonyma, ut & Hebræis תרבית & נשך Quod ſi junctim ponuntur, non recte inde colligitur, invicem differre, quæ diverſo reſpectu eadem ſunt. Nam תרבית uſura eſt quantum ad creditorem, quia ad ſortem ei accedit, & opes ejus amplificat: נשך *Neſchech* autem quantum attinet ad debitorem; & ita dicta eſt uſura ex parte debitoris, quia veluti quo-

quodam morſu deterat atque oblimet ejus facultates. Vid. *Chriſtophor. Binder. libell. de uſuris pag. m.* 13 *edit. Tubing.* 1616. Qua igitur incrementum eſt pecuniæ creditoris uſura, תרבית nomen habet; qua detrimentum eſt debitoris appellatur נשך *Neſchech*, ut ἀπουσία hoc quod abſcedit & abeſt à ſumma; ita è contrario παρουσία pro facultatibus & copia vel abundantia Græcis ponitur, uti videre eſt apud *Harpocrationem*, qui idem eſſe dicit, quod περιουσίαν, & interpretatur τὴν αἰτίαν, πλοῦτον, οὐσίαν. Ita *Demoſthenes*, ita *Dinarchus* ea voce uſi ſunt. Etiam Menander in his verſibus:

—— —— ἔχοντες ἀπαθῆ βίον
Παρουσίαν τε χρημάτων.

נשך *Neſchech* plane eſt ἀπουσία, תרבית *Tarbit* παρουσία. Arabes quoque uſuram قرض *Kertz* vocant à morſu. Nam verbum قرض eſt arrodere & detrahere ab Hebræo קרץ quod ſuccidere & amputare ſignificat, & Chaldæis pro calumniari & criminari uſurpatur, quod faciunt ſcil. alienæ famæ adroſores, qui detrahere & detrectare iis dicuntur quorum famam imminuunt. Qua in ſignificatione & carpere & mordere Latinis accipitur, ut apud *Terentium* & *Horatium*. Uſura autem mordet debitorem, dum ſenſim facultates ejus adrodit. Quantum quippe addit fœneratori, tantum demit ac detrahit debitori, metaphora ſum-

ſumta à flumine, qui ſenſim abradit ripam alteram, ac diminuit, alterique per alluvionem addit.

VI. Onkelos in loco illo Levitic. נשך Neſchech vertit חבוליא quo nomine uſuram vocant Chaldæi, à verbo חבל quod eſt *deſtruere*, *perdere*, atque etiam *incidere* & excidere. Unde מחבל cui adempti ſunt teſtes, caſtratus. Contrario ſenſu iidem uſuram etiam appellant רבית *Ribitha*, ab augendo & adjiciendo. Atque ita item *Onkelos* reddidit, quod in Hebræo eſt תרבית, *Saadias Gaon* in ſua paraphraſi Arabic. ريبا *Riba* vertit, quod eſt propriè augmentum & incrementum. At illud נשך, quod à morſu ac per morſum diminutione derivatum eſt, Arabicè dixit عينة quod uſuram quidem Arabibus notat, ut & ريبا *Riba*, non illam tamen adcreſcentem, quæ creditorem reſpicit, ſed decreſcentem, quæ ſpectat debitorem. Nam عينة *defluxum* denotat, à verbo عان inde عينة & عين uſura, qua pecunia defluit debitori ut creditori adfluat. Hinc verbum عين *fœnerare.* Sed & عين التاجر h. e. fœnerare emptorem, de eo dicunt, qui mercem emptori dedit certo ad pretium ſolvendum ſtatuto tempore, à quo mercem eandem poſtmodum recipit pretio minore, quàm quanti vendidit. In quo eſt detrimen-

mentum & ἀπουσία emptoris, ut Græci vocant, quod eſt proprie عينة. Sed & arbores cum flores aut folia producunt عين dicuntur. Quæ omnia ab eadem origine. Joſephus Tavoſius interpres Perſa pro נשך Neſchech reddit سود quod eſt Perſice lucrum, uſura, idemque quod Arabicum قرض & pro תרבית سلف quæ vox eſt Arabica idem cum عينة ac pro uſura etiam ſumitur. Alter interpres Arabs, quem cl. *Erpenius* edidit, pro נשך *Neſchech* Hebræo poſuit رشاع. Certe Chaldæis רשא *fænerari* & δανείζειν ſignificat, & רשו uſuram. Id verbi tamen iiſdem Syris Chaldæiſque pro carpere, accuſare ponitur, ut & קרץ, unde etiam קרץ pro uſura Arabibus. Alias رشوع Arabibus munus eſt & merces, quæ datur pro opera præſtita.

VII. Videndum nunc an & Græci ſimiliter Interpretes æquè benè reddiderint, vertendo τόκον καὶ πλεονασμόν. Non ſanè videtur; Etenim τόκος reapſe idem quod πλεονασμὸς, quatenus fœtura res multiplicantur & augentur. Et Ariſtophanes in Nebul. τόκον ita deſcribit:

—— —— τοῦτο δ' ἔσθ' ὁ τόκος τί θηρίον;
Τί δ' ἄλλο γ', ἢ κατὰ μῆνα καὶ καθ' ἡμέραν
Πλέον πλέον τἀργύριον αἰεὶ γίνεται,
Ὑπορρέοντος τοῦ χρόνου.

--- &

*——— ——— & iſta uſura qualis bellua eſt?*
*An alia, quam in menſes dieſque ſingulos*
*Subinde major facta cum pecunia*
*Majorque, ſuevit tempore ipſo increſcere?*

Per illa πλέον πλέον τὸ ἀργύριον ἀεὶ γίνεται plane πλεονασμὸν deſignavit; At id τόκος eſt. Ergò propriè hoc תרבית non נשך quod abradendi, arrodendique, ac proinde diminuendi ac deterendi habet ſignificationem, non addendi aut multiplicandi. Non igitur rectè expreſſerunt vim utriuſque nominis Hebraici, quod diverſo reſpectu & ratione eandem rem deſignat. Sed in cauſa fuit Græcæ linguæ hac in parte inopia, qui vocem non habuerunt, qua illud נשך *Neſchech* exprimerent, quàm τόκον; quæ uſura quidem eſt, ſed non ea quæ debitorem pauperat, verum quæ fœneratorem ditat. At illud תרבית *Tarbit* non aliter ad verbum reddere potuerunt quàm per πλεονασμὸν, qui reapſe idem cum nomine τόκος, qua ἀργύριον ἀεὶ πλέον πλέον γίνεται. In lege hac uſurpat quoque Legiſlator τόκον, quæ ex pecunia credita cum damno debitoris novum pariens fœtum, multiplicatum eum reddit creditori.

VIII. Ex his jam dictis ſatis elucet, qualem uſuram prohibeat Legiſlator, nempe mordentem & ultra duplum ſe extendentem. Non autem æſtimandum ac ſi uſuræ tantum eſſent in pecunia, uti quidam putant, ſed de aliis

quibuſvis rebus quæ augmentum addere poſſunt. Trahitur eadem vox generali ſignificatione nonnunquam ad omnes contractus, circa quos iniquitas committitur, ut ſit idem *Uſura*, quod iniquum, cum juſtitia pugnans; ut qui rem locat, & præter morem receptum pecuniam, ſeu mercedem exigit: qui vendit adulterinas merces, ſcoriam pro argento, vinum mixtum aqua, Eſai. I. 22. quiſquilias frumenti, ſeu paleas, imminuens menſuram, & augens ſiclum, & ſupponens ſtateras doloſas, Amos. VIII. 5. 6. 7. in permutationis, emptionis, venditionis contractu, item pignoribus, ſi quis alterum quovis modo decipiat vel defraudet: hi omnes vulgo VSVRARII dicuntur, quæ tamen locutio impropria eſt.

IX. Propriè loquendo contractum mutui non egreditur *uſura*, ac *mutuando* unicè fit, ſi videlicet aliquid ſorti accedat, vel ex pacto illicito, vel intentione corrupta, ſolum mutui officium reſpiciente, vel utroque, ex parte Creditoris, qui non mutuaſſet, niſi ſpes lucri interceſſiſſet. Spe enim & expectatione committitur *vitium uſurarium*. Nam res, in qua *Uſura* committitur, eſt *mutuum*, de quo lucrum gignitur. Eſt igitur uſura lucrum illicitum ſupra ſortem, per pactum ex mutuo debitum vel exactum, aut etiam ex intentione ſperatum: unde ſequitur vel gravamen manifeſtum, vel morſus clandeſtinus proximi,

mi, per quem ſenſim & lente in bonis ſuis tabeſcit, donec tota ipſius ſubſtantia convertatur in debitum, ut *Chryſoſtom. in cap.* v. *Matth.* loquitur. Inde colligitur, etſi aliàs ex conventione contractus legem accipiant, & quis licitè accipere poſſit, quod voluntariè datur: uſuram tamen modo deſcriptam, ratione pacti & contractus de ſui natura illicitam, quam contrahentes facere licitam nunquam poſſunt: Pugnat enim cum juſtitia, quæ ſuum cuique tribuit. Vid. *Chriſtoph. Binder. libell. de uſur. pag. m.* 17. In hoc ſenſu conveniunt Patres, Scholaſtici & Juriſconſulti, quorum omnium ſententia eſt, in *contractu mutui* eſſe illicitam uſuram. Patres unanimi quaſi voto pronunciant, uſuram eſſe quamcunque ſuperabundantiam, ſorti accedentem, uti videre eſt apud *Hieronym. in Ezech.* & *Auguſtin. in Pſalm.* xxxvi. Hoſtienſis in Summa ſua uſuram ſic deſcribit: Uſura eſt, quodcunque ſolutioni rei mutuatæ accedit, ipſius rei uſus gratia, pactione interpoſita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita poſt contractum. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 78. quicquid ultra juſtum pretium exigitur, eſt pretium quaſi mutui, quod pertinet ad rationem uſuræ. Unde Juriſconſulti definiunt uſuram, quod ſit lucrum ex mutuo debitum, vel exactum pacto. Verum hæ generalitates illicitam uſuram non ſatis declarant. Ad agnoſcen-

dum ergo virus *Uſura* in mutuo, traditur communis regula à Doctoribus. Tum enim ſapit uſuram mutuum, quando is, qui res ſuas exponit, nullâ habitâ ratione facultatum *proximi*, *fratris*, *pauperis*, *viduæ*, *pupilli*, quas ſuas facere unicè ſtudet, ob ſolam mutuationem, ſine alia juſta cauſa LVCRVM quærit: cum potius charitatis lege, neceſſitate proximi permoveri deberet. 2Nec moderationem adhibet, ſed ex alterius neceſſitate ſummum ſperat LVCRVM. Hinc *uſura* verè & propriè cenſetur, quando in mutuo non agitur hoc, ut ſublevetur inopia proximi, nec curatur quomodo illi qui accipit cedat, ſed tantum quæritur LVCRVM & COMMODVM MVTVANTIS, & ſequitur gravamen manifeſtum & everſio bonorum proximi vel morſus clandeſtinus. B. *Brentius quondam in hac Academia Profeſſ. celeb.* non male definit *Levit.* xxv. Uſuram eſſe ubi præter ſortem aliquid ſolvitur propter mutuationem.

X. Hæc uſura in ſacra Scriptura acriter damnatur, utpote res pugnans cum fide, charitate & timore Dei. *Levit.* xxv. 35. 36. Non accipies uſuras à fratre tuo נשך ותרבית neſchech & tarbit, τόκον καὶ πλεονασμόν. Ubi enim Helleniſtæ proprie נשך τόκον reddant, non inde ſequitur תרבית aliud eſſe genus ab uſura diverſum. In Deut. cap. xxiii. נשך tam de uſura pecuniæ, quam de uſura cibariorum dici-

dicitur: vide cl. *Salmaſium de uſuris pag. m.* 612. 613. 614. 615. ſeqq. Damnat etiam uſuram *Pſalm.* XV. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? qui pecuniam ſuam non dedit בנשך *ad morſum*. Ergo qui pecuniam ſuam dant ad uſuram, & tanquam ſerpentes mordent ſubſtantiam proximi, non habitabunt in monte Dei. *Ezech.* XVIII. 13. Vir qui genuerit filium nebulonem, qui dederit ad uſuram & augmentum acceperit, moriendo morietur. *Ezech.* XXII. 12. Uſuram & ſuperabundantiam accepiſti, meique oblita es: ſed nemo niſi incredulus Domini Dei benefactoris ſui obliviſcitur. *Luc.* VI. 34. 35. Mutuum dantes nihil inde ſperantes, & eritis filii Altiſſimi. Ergo *Uſurarii* non ſunt filii Altiſſimi, ſed membra Diaboli, *Pſalm.* 91. 1. Beatus qui proſpicit egeno in die quo malum ei ingruit: ſed hoc non agunt *uſurarii*. Ergò maledicti ſunt. Confer. *Henric. Salmuth. ad Panciroll. part.* 1. *pag. m.* 58.

XI. Audiamus Hebræorum ſententias de uſuris, quas doct. Anglus *Henric. Ainsworth. Commentar. in Exod.* XXII. *fol. m.* 88. *edit. Lond.* retulit ex *Maimon. tract. de creditor. & debitor. cap.* 4. 5. 6. quando verba Hebraica Anglicano idiomate ita profert: *And why is the name of it called* נשך *bitting uſurie? becauſe it* (נשך) *bitteth; for it nippeth thy neighbour, and eateth*

 *his*

*his fleſh. As it is unlawfull to lend, ſo it is unlawfull to borrow upon uſurie, for it is written* (in Deut. XXIII. 19.) *thou ſhalt not cauſe to bite, (that is, to lend upon bitting uſurie) by tradition we have beene taught, that this is an admonition to the borrower, &c. Likewiſe it is unlawfull to have ought to doe betweene the borrower and the lender upon uſurie: and whoſoever is either ſuretie or ſcribe, or witneſſe betweene them, he tranſgreſſeth againſt this prohibition. Yee ſhall not lay upon him bitting uſurie* (Exod. XXII. 25.) *this is an admonition to the wittneßes alſo and to the ſurety and to the ſcribe. He that lends upon uſurie tranſgreſſeth againſt ſix prohibitions. Thou ſhalt not be to him as an exacting creditor.* Exod. XXII. 25. *Thou ſhalt not give him thy mony upon uſurie.* Levit. XXV. 37. *Thou ſhalt not give him thy victuals for increaſe.* Levit. XXV. 37. *Thou ſhalt not take uſurie of him or increaſe.* Levit. XXV. 36. *Yee ſhall not lay uſurie upon him.* Exod. XXII. 25. *And thou ſhalt not put a ſtumbling bloke before the blinde.* Levit. XIX. 14. *And the borrower tranſgreſſeth againſt two; Thou ſhalt not cauſe to lend upon bitting uſurie.* Deut. XXIII. 19. *And thou ſhalt not lay a ſtumbling blocke before the blinde.* Levit. XIX. 14. *The ſuretie, witneſſes, and ſuch like tranſgreſſe againſt this; yee ſhall not lay uſurie upon him. Whoſoever borroweth or lendeth upon uſurie, are like unto them that deny the name of the God of Iſrael, and deny the comming out of E-*

*gypt;*

*gypt ; as it is written : Thou ſhalt not give him thy money upon uſurie*, &c. *I am the Lord your God*, &c. Levit. XXV. 37. 38. *It is unlauwfull to take uſurie before or after. As one intending to borrow of a man ſends him a gift to the end that he may lend unto him : this is uſurie afore hand. Or he hath borrowed of a man, and paid him againe, and ſends him a gift for his money which he had of him for nought : this is after uſurie. Who ſo borroweth of his neighbour, and was not wont in former time to ſalute him firſt, it is unlawfull for him to ſalute him firſt (& I need not ſay to praiſe him) for it is written, Uſurie of any word (or thing)* Deut. XXIII. 19. *Though they be but words, they are unlawfull. Likewiſe, it is unlawfull for the borrower to learne his lender to reade*, &c. *all the while his money is in his hand, if he were not wont to doe it before, as it is ſaid, Uſurie of any thing. It is unlawfull to let out money to hire, as they doe other things*, &c. *He that lendeth to his neighbour, and conditioneth with him to dwell in his courtyard for nought untill he pay him what he hath borrowed ; or that hireth a thing of him for leſſe then it is worth till he pay him*, &c. *this is uſurie —— A bill for uſurie, the principall may be required by it, but not the intereſt.*

XII. Ex his *Maimonidis* verbis conſtat, quomodo ſe creditor habere debeat, nempe ut nullam mordentem uſuram capiat, aliàs ſi contrà ageret, peccaret. Et hi potius qui du-

plum poſtularent. Hoc reſpexit Lex *Ægyptiorum*, *qua vetat duplum pro uſura augere ſortem*. Hæc enim eſt damnoſa utilitas & pernicioſa inæqualitas, contra rationem, ordinem charitatis, ſecundum quam homo proximo indigenti ſubvenire debet, & quoties mutuationis officium exercetur ea intentione, non ut ſublevetur inopia proximi, ſed ut pecunia multiplicetur, peccatum eſt. Quod ſi nominatim id lucrum in mutuo prohibitum eſt, quod in fraudem cedit proximi, quod mordet, quod trucidat pauperem, ut Auguſtin. ad Macedon. loquitur: ergò lucrum ſine proximi incommodo, imò cum ejus commodo paratum, aut requiſitum, iniquum nullo modo erit. Non enim abſolute omnem retributionem prohibet, ſed *duplum*. Si debitor creditori aliquid ſolvat retributionis loco ſine peccato recipi poſſe ſtatuitur, modo intentio mala lucri ex officio mutuationis abſit. Nullam enim maculam oblatio ſuſcipienti ingerit, quæ non exigentis illicitâ immodicâ pactione proceſſit: quin-imò ob charitatem principaliter mutuanti, ſecundario debitor naturaliter ad ἀντίδωρον obligatus videtur. Charitas namque reciproca eſt.

XIII. Si enim naturaliter obligatus eſt ob officium mutui & lucrum acquiſitum ſalva conſcientia intervenire poteſt ſtipulatio de retribuendo, non honorarii tantum loco, ſed

etiam

etiam ob temporarium uſum pecuniæ alteri conceſſæ; ita tamen ut modicè fiat, non per morſum, illæſis charitatis limitibus, abſque deſtructione ſubſtantiæ proximi: modum autem ſtatuunt leges politicæ. **Denn wer hat beſſere macht/ſein eigen geld zu nieſſen/dann der/dem es eigenthumblich zuſtehet. So kan er nun die nieſſung deſſen** pro æquabili compenſatione **einem andern vergoennen**. In mutuo igitur ex meo tuum fit, non ſimpliciter, ſed cum conditione compenſationis lucri ceſſantis, & damni emergentis, quam charitas requirit. Et hoc officio Chriſtiano non eſt contrarium, alium juvare, ut te ſerves indemnem. Quod ſi autem debitor pecunia mutuato lucraretur, nihilque refunderet Creditori; non faceret, quod charitatis eſſet: cum natura quemque gratum animum ad ἀντίδωσιν trahat. Et hac ratione uſuræ ſunt congrua & æqualis compenſatio temporarii uſus alienæ pecuniæ. Nullum hîc lucrum ſupra ſortem exactum, propriè, ſed æſtimatio uſus ſortis conſumptæ, cum damno creditoris.

XIV. Non accuſandi ſunt Legumlatores iniquitatis, ob conceſſionem moderati lucri; ſed modum tolerabilem, æquum & charitati convenientem, quo uterque ſibi obſtringitur, & mutuò dans, & mutuò accipiens, per leges definivere: quibus uſuræ compenſatoriæ, interuſurii medii temporis, vel damni emer-

gentis, moderatæ, & ad legitimum, atque æquabilem modum reductæ fuere: pariter ut ſit in venditione, ubi non ſimpliciter verum eſt, licere cuivis ſuam rem vendere quanti voluerit. Nam ſi excedat pretium, dimidiam partem juſti, venditio lege civili reſcinditur. Quod igitur leges civiles ſecundum rectam rationem ſtatuunt, eo pii bona conſcientia uti poſſunt. Debet Legiſlator, tanquam communis Reipubl. parens, non ſolùm crimina prohibere, ſed etiam in commerciis iniqua lucra & damna arcere, & in his ita moderari rationem contractuum, ut primùm æquabile, deinde probabile ſit commercium. Ideò dicit Imperator *C. l. 9. tit. 32. de uſuris.* Super uſurarum verò quantitatem generalem ſanctionem facere, neceſſarium duximus, veterem duram & graviſſimam earum molem ad mediocritatem deducentes.

XV. Non ergò *Ægyptii* omnem rejecerunt uſuram, ſed illam tantum quæ *duplum* augeret, injuſtum enim putabant lucrum hoc mordens, cui legi Ægyptiorum adſtipulatur *jus municipale Wirtembergicum*, quod omnem acceſſionem in mutuo ultra ſortem, ſive pecuniariam, ſive frumentariam, ſub comminatione pœnæ prohibet, & creditorem ſua ſorte contentum eſſe prudenter ordinat, occaſionem ſtatuto dedit abuſus: Weil mehr mahls bey den leyhungen wucherliche / und von

rechts-

rechts-wegen verbotene Contract/ gefaehrlicher und betruglicher weiſe furgenommen werden : ut verba ibidem habent : Alten Landrechts part. 2. pag. 183. Daſs der Entlehner dem leyher eine gute Summa gelts/ oder gelts werth/ mehr wider zu bezahlen verſchreiben muſs/ dann ihme geliehen worden : Landts-Ordnung pag. 118. Facit enim immoderata habendi cupiditas, ob quam damnum non cenſetur cum mala fama lucrum, & *αἰσχροκερδῶν ἐπιθυμίαι καὶ κακοτεχνίαι πολλαί*, quia lucrum ex mutuo moderari nequeunt, præſertim in contractibus remotis arbitris factis, ut id fiat illicitum, quod aliàs charitate temperatum licitum foret. Quare damnanda & execranda eſt ſimpliciter omnis uſura, quæ eſt MORSVS, ſuperabundantia ſeu multiplicatio ad opprimendum, gravamen ſeu onus, quo tandem ſuccumbendum eſt proximo. Plura qui de uſuris prohibitis legere cupit evolvat cl. *Salmaſ. tract. de Vſur. Henric Salmuth. not. ad Panciroll. Chriſtoph. Binder. Abbat. quondam Adelberg. libell. de uſuris;* & quilibet convenientiam hujus Ægyptiorum legis cum aliis facile videbit.

LEX

## LEX DECIMA SEXTA.

## DE OBÆRATORVM FACVLTATIBVS DVNTAXAT VSVRAS EXIGERE; SED CORPVS NVLLO MODO IN NEXVM DVCERE CONCEDEBAT.

Diodor. Sicul. Bibliothecæ hiſt. lib. I. LXX. 9.

I. Hanc legem recenſent quoque *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt.* & *Anglus Robinſon. in Annal. Mundi.* Quam Græcis verbis refert *Angl. Nobil. Joh. Marsham. Secul.* XVI. *in Canon. Chron. pag. m.* 483. *edit. Francofurt.* Τῶν δὲ ὀφειλόντων τὴν ἔκπραξιν τῶν δανείων ἐκ τῆς οὐσίας μόνον ἐποιήσατο, τὸ δὲ σῶμα κατ' οὐδένα τρόπον εἴασιν ὑπάρχειν ἀγώγιμον. i e. *de obæratorum facultatibus duntaxat uſuras exigere, ſed corpus nullo modo in nexum ducere concedebat.* Et rationes addit *Diodorus Siculus* his verbis: bona illorum arbitratus eſſe; qui vel labore comparaſſent, vel per donationem à poſſeſſore legitimo accepiſſent, ſed corpora civitatibus deberi, quibus ad congrua belli paciſque munia utantur. Abſurdum enim eſſe, militem, qui pro patria ſeſe periculis objiciat, propter fœnus à creditore, ſi ita contigerit, in nervum abduci, & ob privatorum avaritiam communem omnium ſalutem in diſcrimen venire. Hanc legem *Solon* Athenis invexiſſe videtur, qua cives univerſos ab ære alieno, in corporis nexum credito,

to, liberavit. Et quidem non immerito culparunt Legiſlatores Græcos, quod vetuerint, ob fœnus pignori capere arma, aratrum, aliaque operi faciundo neceſſaria; ſed eos, qui illis uti debebant, nectendos permiſerit.

II. Mitior hæc lex Ægyptiorum fuit, quàm *Leges civiles*, quæ debitorem exuunt omnibus bonis, ſi ſolvendo non velit eſſe, nec curant ejus paupertatem: & ſi vel modicum de ſorte, aut uſuris in debito perſeveret, diſtractio rei obligatæ non poteſt impediri, *C. libr.* 8. *tit.* 38. Cum in contrarium leges Hebræorum ſtatuant, quæ volunt שלא נתבע חוב מעני שאין לו מה לפרעו *Ne exigamus debitum à paupere, qui non eſt ſolvendo;* vel plenius: Quod prohibeamur exigere debitum à mutuo accipiente, eo tempore, quo conſtat nobis, illum, propter inopiam, non eſſe ſolvendo parem, ſicut dicitur: Non eris ei tanquam uſurarius, Exod. cap. XXII. 25. vid. *clar. Hottinger. jus Hebr. leg.* LXXIII. *pag. m.* 91. Bene Henricus Ainsworthius in Comment. ad Exod. fol. m. 88. edit. Londin. *Thou ſhalt not be to him as an exacting creditor, as a lender that is urgent to have his owne againe, or to have a pawne for the ſame, ſo the word is ſundry times uſed in this ſenſe* 2. Regum IV. 1. Pſalm. CIX. 11. Nehem. V. 7. 10. 11. *So the Law elſewhere forbiddeth exacting ob debts upon our poore bretheren.* i. e. *Ne exigens & rigidus creditor ſis;* quem-

*quemadmodum creditor, qui urget, ut iterum ſuum habeat, vel pignus (ob pecuniam creditam) ita vox in ſpecie uſurpatur hoc ſenſu* 2. Reg. IV. *ita lex prohibet exactionem debitorum à fratre paupere.* His ita recitatis ex Maimonide de creditor. & debitor. cap. 1. ſect. 2. refert Anglicè: *whoſe ſo exacteth* (payment) *of a poore man, and knoweth that he hath not ought to pay him with, he transgreſſeth againſt this prohibition.* Similiter Deut. XV. 2. 3. expreſſum habetur præceptum, ubi videndæ annotationes *Ainsworthii fol. m. 57. edit. Londin.* Ex quibus ſatis elucet, quod Judæi non rigide debeant exigere à pauperibus fratribus debitum. Verum obſtare his videtur locus 2. Reg. IV. 1. ubi expreſſe legimus, quod vidua Prophetica dixerit: Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi; qui ſane morem illum antiquum indicat, quo in Judæa ſolebant alienari filii, ac in ſervitutem vendi ad diſſolvenda debita, ab ipſorum progenitoribus contracta. Huc reflectunt Oracula Eſaiæ cap. L. 1. *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?* Cui ex creditoribus meis, q. d. Non habeo creditores, non habeo oppreſſores, quorum pecuniis indigeam, quibus, cum non ſim ſolvendo, oporteat pignus dare, aut filios meos in ſervos tradere immerentes & ſervitute indignos. Vid. *Forer. in h.l.* Ita *Matth.* XVIII. 24. hæc extant: Cum autem non habe-

ret

ret (debitor) unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari & uxorem ejus & filios & omnia quæ habebat. Verum hi duo textus nobis ob oculos ponunt non creditores, quales juxta Scripturam eſſe debent, ſed *uſurarios*, quorum ſigna ſunt (1) Quod ex profeſſo pecuniam ſuam elocent, nec unquam, aut rariſſimè miſero opem ferant. (2) Quod nocenti morſu evertant bona proximi. (3) Quod veniente termino ſolutionis importune urgeant debitorem, irruendo in eum. (4) Quod non velint alium ſolutionis terminum expectare quem offert debitor. (5) Quod ſoleant ultra conſtitutum legibus extorquere.

III. Volunt quidem leges civiles, quod debitor ad extremum denarium excuti poſſit, *Gloſſ. ultim. in leg. pen. de ceſſ. bon.* Angel. *in* §. *ultimo n.* 11. *Inſtit. de act.* Brun. *tract. de ceſſ. bon. q.* 3. *per leg. pen. C. qui bon. ced. poſſ.* pro quo in textu in *Novell.* 135. verſ. ad quotidiani victus & amictus corporis inopiam atque adeo uſque ad intimam excutiatur interulam, ut ait *Bald. l. ult. C. qui bon. ced.* & alii. Et ſi plane non ſolvendo eſt debitor, *luat corpore.* Sane triplici modo in hac parte *debitores* à veteribus tractati memorantur. *Primus* erat, ut lapidi inſiderent remotis femoralibus, qui per podicem bona turpiter egeſſiſſet, Zaſ. *in l. ult.* 1. *ex iſta ff. de ceſſ. bon.* Alciat. *l.* 2. *parerg. c.* 47.

Guid.

Guid. Papa. *q.* 344. Johan. Ferrar. Montan. *in jud. praexercit. l.* 3. *c.* 3. *Secundus modus* erat XII. Tabularum, per quas licitum erat debitores in partes ſecare, Covarruv. *l.* 2. *reſol. c.* 1. *n.* 1. *Johann. Oldendorp. comment. in* XII. *Tab. fol. m.* 64. Operæ pretium erit totam legem proferre, quam *Sextus Cæcilius* apud *Agellium lib.* XX. *cap.* I. item *Agell. lib.* XV. *cap.* XIV. *lib.* XVI. *cap.* X. Quintilian. *lib.* III. *cap.* XVIII. Varro *lib.* I. *de vit. pop. Rom. apud Non. in Proletar. Cicero in Topic.* recenſent. Apud Agell. hæc leguntur: *Confeſſi æris ac debiti* judicatis triginta dies ſunt dati, conquirendæ pecuniæ cauſa quam deſſolverent. Eoſque dies Decemviri juſtos appellaverunt, quoddam velut Juſtitium, id eſt, juris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem, quibus diebus nihil cum his agi jure poſſet. Poſt deinde niſi ſolverent ad Prætorem vocabantur, & ab eo quibus erant judicati, addicebantur. Nervo quoque aut compedibus vinciebantur. Sic enim ſunt verba legis: ÆRIS CONFESSI REBVSQVE JVRE JVDICATIS TRIGINTA DIES JVSTI SVNTO, POST DEINDE MANVS INJECTIO ESTO, IN JVS DVCITO, NI JVDICATVM FACIT AVT QVIPSENDO EO IN JVRE VIM DVCIT, SECVM DVCITO, VINCITO AVT NERVO AVT COMPEDIBVS QVINDECIM PONDO NE MINORE;

AVT

AVT SI VOLET, MAJORE VINCITO, SI VOLET, SVO VIVITO.

IV. Hujus legis fragmenta ſingulas partes conſideranda eſſent, ut omnia clariora evaderent, ni hoc feciſſent clariſſimi & doctiſſimi viri *Paulus Merula de legib. Rom. pag. m.* 2. *Oldendorp. ad leges duodecim Tabul: fol. m.* 64. ex quibus tamen quædam in pleniorem verborum ſenſum excerpemus. ÆRIS CONFESSI, i. e. debiti confeſſi. Confeſſus æris hîc dicitur, qui propria ſua confeſſione debitorem ſe creditori ſuo agnoſcit; huic triginta dies, i. e. menſem concedebant, ut procurare poſſet; quo debitum ſolvat. Poſtea autem alterum tantum cœpit eſſe. Nam ex Conſtitutionibus: *Judicati faciendi vel ſolvendi tempus eſt duorum menſium*, l. 11. C. Theodoſ. de uſur. rei judic. Hodie quatuor eſt menſium, *l.* 11. *C. de uſur. rei judic.* Curia Hollandiæ tempus fere obſervat à Decemviris in duodecim Tabulis præſcriptum. Solutione non facta manus injiciebantur, qui mos adhuc in Hollandia locum habet. Si enim reus condemnatus nihil habet in bonis, unde judicatum ſolvat, apprehendi ſolet à Creditore, inque publicam cuſtodiam condi, quemadmodum *Paul. Merula* docuit *in prax. Tit. de exſecution.* XI. *cap.* 1. §. 11. Solutione nondum facta lex vult, ut Debitor tribus nundinis ad Prætorem in judicium producatur & tandem capite plectatur, aut

P trans

trans Tiberim peregre venum eat. In arbitrio enim Creditoris erat, Debitorem vel necare, vel in ſervitutem vendere. Mitius autem erat debitorem vendere, quàm necare, id quod per diſſectionem fiebat. Cauſam tam atrocis ſupplicii, in debitores fallentes fidem conſtituti, reddit Agellius lib. XX. c. I. his verbis: *Nihil profectò immitius, nihil immanius, niſi (ut re ipſa apparet) eo conſilio tanta immanitas pœna denunciata eſt, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum enim antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi, quoniam ſævitia iſta pœna contemni non quita eſt.* Quintilian. lib. III. *Sunt quædam laudabilia natura, ſed jure conceſſa, ut in duodecim tabulis corpus inter Creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Sic Tertullianus in Apologet. *Judicatos*, inquit, *in partes ſecari Creditoribus leges erant, conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt, & in pudoris notam capitis pœna converſa eſt, bonorum adhibita proſcriptione.* Vid. *Oldendorp. in leg.* XII. *Tabul.* Periculum enim imminebat Creditoribus ex ſectione. Secandum enim erat debitoris corpus in juſtas portiones pro quantitate æris, quod ſingulis debebatur. Videatur Cl. *Claud. Salmaſ. libr. de uſur. pag. m.* 544. 545. *ſeq.*

V. *Tertius modus* erat *addictio in ſervitutem.*

Anti-

Antiquam hanc conſuetudinem nobis repræſentat Sacer Codex, quod Debitor, qui non ſolvendo eſſet, carceri mancipatus vel in *ſervitutem* raptus, vel venditus fuerit, ex quo leg.XII.Tabul.originem hauſiſſe extra omnem dubitationis aleam ponimus. Incarceratio indicatur Matth. V. 25. 26. *Eſto amicus adverſario tuo citò, ne te tradat judici, & in cuſtodiam conjiciaris; amen dico tibi, non exibis illinc uſque dum reddideris ultimum quadrantem.* Et cap. XVIII. v. 30. Ut hîc non minus ſuſpecta ſit fides Commentatoris in Maimonidem de Mutuo c. 2. quam contradictoria ſententiæ iſtius, quando ſcribit: זה פשוט שלא מצינו בשום מקום חיוב גוף מחמת ממון ולא שבועה שאין לו: *Hoc eſt ſimpliciter certum, non reperire nos ullibi obligationem corporis pro pecunia neque juramentum, quod nihil habeat.* Raptos in *ſervitutem* debitores docet exemplum 2. Reg. IV. 1. adductum. Propter debita igitur in ſervitutem rapi poterant non ſolùm debitor ipſe, verum etiam ejus hæredes ſive liberi; & Creditor operam eorum ſervilem in ſolutum accipiebat. Denique *venditionem* probat parabola Matth. XVIII. 25. Atque huic venditioni patrocinatur *Maimonides*, quamvis perperam reſtringat ad ea ſolum debita, quæ vectigalium nomine ſolvenda; *de ſervis, cap.* I. מלך שגזר שכל מי שלא יתן המס הקצוב על כל איש ואיש ישתעבד לזה שנתן המס על ידו

 הרי

הרי זה מותר להשתמש בו יותר מדאי *Rex ſi decretum fecit, ut quiſquis non dependerit tributum, unicuique impoſitum, in ſervitutem detur illi, per cujus manum tributum fuit ſolutum, tunc huic licitum eſt, illius miniſterio uti, etiam durius, quàm aliàs:* juxta illud in Bava Metzia cap. v. fol. 73. 2. *qui dant pecuniam pro tributo aliorum, hos ſervire faciunt vehementer:* ubi Regem ſtatuiſſe referunt: *qui non perſolverit vectigal capitationis in ſervitutem addicatur illi, qui iſtud perſolverit.*

VI. Verum quemadmodum nimia hæc acerbitas prohibita fuit in legibus civilibus, ita etiam in legibus Hebræorum poſterioribus. Prohibita enim eſt in Receſſ. Imper. de Anno 1527. c. 17. etiam in caſu conventionis. Coler. *de proceſſ. executionis part.* 1. *c.* 8. *num.* 60. *uſque* 81. Daniel. Moll. *ad conſtitut. Saxon.* 43. *n.* 4. *p.* 4. Et nominatim eo rigore, qui in XII. *Tab.* ſancitus eſt, Romani nunquam uſi ſunt, uti teſtatur Covarruv. *l.* 2. *reſolut. c.* 1. *n.* 1. Quintil. *inſtit. Orat.* 8. *c.* 8. Heig. *q. juris. p.* 1. *q.* 35. *n.* 26. Gilken *de præſumt. p.* 3. *c.* 6. *n.* 42. Quod ſervi facti aut carcerum nexui obſtricti propter debitum, id etiam ſublatum eſt à Conſtantino *l. nemo.* 2. *C. de exact. tribut.* Parormit. *par. c.* 2. *de pignor. l. liber homo* 13. *ff. ad L. Aquil. l. ob æs alienum.* 12. *C. de act.* Similiter Leges Hebræorum poſteriores id non indulgent. *Maimonides* de mutuum dante & accipien-

piente cap. 1. כשיתבע המלוה הלואתו א״עפי שהוא עשיר והלוה דחוק וטרוד במזונות אין מרחמין בדין אלא גובין לו חובו עד פרוטה אחרונה i.e. *Si exegerit creditor mutuum ſuum, etſi dives ſit, debitor contra preſſus inopiâ & aſſiduè occupatus in alimentis parandis, non exercent miſericordiam erga ipſum in Judicio, ſed exigunt ab ipſo debitum ſuum uſque ad ultimum* λύτςον. Sed cap. 2. *Si nihil quicquam reperiatur, quod debitoris ſit, abibit debitor quo volet: non autem vinciunt eum, nec dicunt ipſi, affer probationem, quod pauper ſis; neque adjurant eum, quomodo judicant gentes; ſed dicit Judex ſcil. creditori, ſi noris iſti eſſe aliquas facultates, iſti, inquam, qui tibi debendi reus eſt, abi & occupa eas.* Addit autem, à poſterioribus Doctoribus, ob multiplicem debitorum fraudem conceptam fuiſſe graviſſimam jurisjurandi formulam, qua *Debitor* in Judicio profiteatur, ſibi nihil ſupereſſe præter ea quæ debitori relinquenda ſtatuerunt; nihil abſcidiſſe, neque aliis aſſervandum dediſſe; promittat inſuper, quicquid ulla ratione poſtea acquiſiverit, non ſe converſurum eſſe in alimenta aut veſtimenta uxoris aut liberorum, nedum per donationem alienaturum, ſed ſubducto ſolum menſtruo ſuo victu & annuo ſuo amictu, reliquum omne ſuis creditoribus bona fide traditurum, donec omne ſuum æs alienum diſpunxerit.

P 3 VII. Ut

VII. Ut autem apud Ægyptios Legiſlator *Bocchoris* avaritiam fœneratorum coerceret, qui etiam corpora debitorum in nexum ducere conentur, Legem hanc promulgavit, ut *de obaratorum facultatibus duntaxat uſuras exigerent, ſed corpus nullo modo in nexum ducerent.* Rationes §. 1. adduximus. A quo deinde *Solon* accepit, & *Athenis* invexit; Seiſachthiæ nomine ab ipſo vocitatam, qua cives univerſos ab ære alieno, in corporis nexu credito, liberavit. Quantas uſuras apud Græcos fœneratores poſtularint, ex iſtis *Ariſtophan. in Nebulis* conſtat, quod ſcil. menſtrua uſura uſitata. Singulis enim menſibus anni νεομηνία, una drachma, nummus argenteus Atticus, de centum drachmis dabatur. Vid. plur. *Pfeiffer. antiquit. Græc. lib. 2. cap.* XXXVII. *pag. m.* 303. qui igitur ſolvere non poterat, addictus creditori fuit, ut ſerviret, aut peregre venundaretur. Vid. *Cl. Claud. Salmaſ. de uſur. pag. m.* 565. Unde factum, ut urbs planè in lubrico verſaretur. Totus enim populus ſive plebs ἦν ὑπόχρεως, h. e. ære alieno opprimebatur à divitibus, ut ſcribit *Plutarchus in Solon. p.* 85. Athenis, inquit, jam quidem obtinebat Democratia; *verum tanta erat pauperum inæqualitas cum divitibus, ut urbs prorſus in lubrico verſaretur. Plebs enim tota ære alieno à divitibus oppreſſa, aut illis arabant, ſextantem fructuum penſitantes* (unde ἑκτημόριοι καὶ θῆτες, *ſextantuli &*

*capi-*

*capite cenſi vocabantur*) *aut nexu corporis verſuram facientes*, *creditoribus addicti*, *partim ibi ſerviebant*, *partim peregrinis venundabantur*: *multi etiam liberos ſuos vendere* (*neque lex vetabat*) *aut urbem deſerere*, *propter fœneratorum crudelitatem*, *compellebantur*. Quapropter pars maxima *Solonem* oravit, ut Rempublicam capeſſeret & controverſias componeret. Hoc factô tanto temperamento inter plebem Senatumque egit, ut ab utriſque parem gratiam traheret. Primò animadvertens Athenienſium civitatem uſuris exhauriri & plurimos redactos eſſe ad inopiam, multos etiam coactos vendere filios & filias, moderatus eſt uſuras, ſanxitque, *ne quiſquam* propter æs alienum in ſervitutem traderetur. Lex hæc eſt: Ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν, i. e. PECVNIAM MVTVAM NE DANTO SVB NEXV CORPORIS, in ſervitutem adducendi, quæ optime cum Lege *Boccharis* convenit, & eadem eſt.

VIII. Deinde ut huic malo prudenter occurreret, Σεισάχθειαν inſtituit, *oneris excuſſionem*. *He*, (inquit *Anglus Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* 3. *c.* 1. *pag. m.* 96.) *therefore cut off all uſe as ſome wite, or elſe leſſened the burthen of it, making it more moderate by this Law* Σεισάχθεια, *ſo called from* Σείειν, *to shake off, and* ἄχθος *an heavy weight*. Χρεωκοπία, ſeu æris alieni reſciſſio, benigno & blando vocabulo σεισάχθεια fuit

appellata. Heraclides de Politiis: Σόλων νομοθέτης Ἀθηναίων χρεῶν ἀποκοπὴν ἐποίησε, τὴν Σεισάχθειαν λεγομένην, i. e. Solon Athenienſium Legislator, novarum Tabularum Auctor exſtitit, & Siſachthéan, hoc eſt æris deciſionem introduxit. Ἡ σεισάχθεια, ut ait *Laërtius*, ἦν λύτρωσις σωμάτων τε καὶ κτημάτων, *erat corporum poſſeſſionumque redemtio.* Dicunt *autem non æris alieni remiſſione, ſed uſurarum moderatione, pauperes allevatos eſſe:* Eadem lege & menſurarum modum auxit & Monetæ pretium. Quippe *Minam* fecit C. drachmarum, quæ antea erat LXXV. Et hoc modo cum obærati redderent ſummam numero quidem æqualem, ſed valore minorem, ipſi multum lucri faciebant, at creditores nihil lædebantur. Accipiebant à debitoribus drachmas eodem quidem numero, qui in ſyngraphia ferebatur, eademque puritate atque æſtimatione, ſed non eodem pondere. Vid. *Marsham. Can. Chron. Eduard Simſon. Chron. Cathol. part.* 3. *fol.* 101. *Franciſ. Rous Archaol. Attic. lib.* 3. *edit. Oxon. cl. Claud. Salmaſ. lib. de uſuris, Pfeiffer antiquit. Græc. lib.* 2. *c.* XXXVII.

LEX

## LEX DECIMA SEPTIMA.

QVI FVRTIS OPERAM DARE VOLVNT, NOMINA APVD FVRVM PRINCIPEM PROFITENTVR ET E VESTIGIO FVRTVM EX PACTO AD EVM REFERVNT, QVI RES SVAS AMISERVNT CONSIMILITER VNVMQVODLIBET AMISSORVM LITERIS CONSIGNATVM EXHIBENT, LOCVMQVE AC DIEM ET HORAM, QVIBVS JACTVRAM FECERINT, ADSCRIBVNT, HOC MODO CVNCTIS FACILE REPERTIS FRAVDATVS, TAXATIONE RERVM FACTA, QVADRANTEM HORVM PERSOLVIT, ET TVM SVA RECVPERAT.

Diodor. Sicul. lib. 1. Biblioth. Hiſtor.

I. Quamvis furtum referatur à nonnullis ſcil. *Ariſtotele lib.* 2. *Nicom. c.* VI. & utroque *Grotio*, *Hugo. quidem lib.* 1. *de Jure Belli & Pacis cap.* 1. §. 10. 11. *Guil. verò de princip. juris natur. cap.* 3. §. 10. inter illas actiones, quarum vel ſola nomina implicatam pravitatem demonſtrant, quæque ob intrinſecam turpitudinem ſuam nullo tempore & caſu indifferentiæ cancellis includi poſſint. Nam furtum

naturali jure prohibitum dixit Paulus JCtus *in l. 1. ff. de furt.* Natura turpe, *Ulpian. l.* 42. *ff. de V. S.* ibique Wiſſenbach: Deo diſplicere, *Euripides* his in Helen. verſibus:

*Namque odit ipſe vim Deus, nec divites*
*Nos eſſe rapto, ſed probe partis cupit.*
*Spernenda, ſi non jure veniat, copia eſt,*
*Communis æther hominibus, tellus quoque,*
*In qua ampliare cuique ſic fas eſt domum,*
*Ut ab alienis rebus ac vi temperet.*

Attamen alii reperiuntur, qui hanc ipſam vocem in largiori ſignificatu adhibere volunt, ut denotet quamcunque ablationem rei, quam alter poſſidet, quæ in ſe nec bona moraliter, nec mala eſſet, bonitatis tamen aut malitiæ capax pro varietate circumſtantiarum. Præprimis hoc fieri videmus ab illis, qui furta apud *Lacedæmonios* ac *Ægyptios* pro perfectè licitis habent, eaque omni morali malitia deſtituta eſſe aſſerunt.

II. Hujus aſſerti defenſorem offendimus *Johannem Selden. de Jure Naturæ & Gentium libr.* VI. *capit.* 2. *pag. m.* 703. qui ſurreptionem apud *Lacones* & *Ægyptios* ob Legem reverâ furtum non fuiſſe autumat, licet externam quodammodo furti ſpeciem repræſentaret. Verba ejus hæc ſunt: Quid ſane dicendum de *Lacedæmoniis* & *Ægyptiis*, apud quos furta quædam licita fuiſſe traditur. Nimirum quandam rerum juxta eorum, quibus Legum feren-

ferendarum poteſtas, placita, ſurreptionem licitam eſſe palàm eſt, ſed in eo, quod licitam eam eſſe voluere, plane dominio rerum apud ſuos temperamentum tantùm adjecere, unde velut in communionem quandam eò uſque redigeretur. Adeò ut ex ſingulari jure Dominii id juſte apud ipſos fieret, non interea alibi, quod furti ſpeciem quadantenus imitaretur, furtum autem omninò non eſſet. De quo, quatenus crimen eſt, ſine Modorum ac temperamentorum, quæ dominio adjici ſolent, velut Lydio hîc lapide fruſtra nimis ſæpe decernuntur, qui de caſibus conſcientiæ ſolicitius diſquirunt. Huc uſque *Seldenus*.

III. Ab eadem opinione non aliena ſunt, quæ apud *Robertum Scharrockium de Offic. ſecundum jus Naturæ cap.* III. *n.* 3. *pag. m.* 166. reperiuntur. *Ægyptii Ægyptiorum, Spartiatæ Spartiatarum* res rapuiſſe dicuntur: at neque *Ægyptios*, neque *Spartiatas* poſſe furti accuſare, ſunt qui ſentiunt. Solus ille *fur* audit, *qui invito Domino res alienas occupat:* Spartæ verò & Ægypti Dominos invitos concludi, iniquum videtur, cum Legi conſenſiſſe credantur, qua auctrice hæc, qui fures improprie audiunt, auſi ſunt facinora. Lex enim erat, ut in rebus ſurreptis hac conditione jus haberent raptores, ſi morem in Actibus ejuſmodi exercendis ratum & ſtatutum obſervarent. Et alibi *cap.* XIV. *n.* 4. *pag. m.* 558. Licentia apud

*Spar-*

*Spartiatas* data, imò apud *Ægyptios*, ut res ab innocente vicino ſurreptæ, ſi modò leges de furto facto obſerventur, lucro furum adeoque innocentium damno cederent. Non igitur queri de injuria poſſunt, quibus amiſſæ res; cum ex communi hoc contractu fiat. Licet autem ab allegatis Auctoribus *furta* Ægyptiorum & Lacedæmoniorum conjungantur; attamen ut exiſtimamus, nemo nobis vitio dabit, ſi ſepoſitis iis, quæ de juſtitia Laconici furti diſquiri poſſent, ea ſolùm, quæ ſpecioſe ſatis juſtam furti apud Ægyptios licentiam defendunt, excutiamus.

IV. Ut verò eò facilius in pleniorem hujus controverſiæ cognitionem pervenire liceat, recitanda eſt iterum Lex ipſa Ægyptiorum, quæ furta concernebat. Eam proponit *Diodorus Siculus lib.* 1. *pag. m.* 72. *edit. Hanov. Ann.* 1604 ex verſione Latina *Laurentii Rhodomanni* in his verbis: De furibus Lex quædam Ægyptiis eſt perquam ſingularis: qui furtis operam dare volunt, nomina apud *furum* Principem profitentur, & è veſtigio furtum ex pacto ad eum referunt. Mentionem hujus licentiæ facit etiam *Gellius lib.* XI. *Noct. Attic. cap.* XVIII. his verbis: Id etiam memini legere me in libro *Ariſtonis* Jcti haudquaquam viri indocti, apud veteres Ægyptios (quod genus hominum conſtat & in artibus reperiendis ſolertes extitiſſe & in cognitione rerum indaganda

